

Ignatius Weitenauer

‘Demetrius Philippi’

Tragoedia
(1758)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
März 2008

Argumentum et Animadversiones

I. Philippus Macedonum rex, ingenio callidus, bello fortis, odio in Romanos acerrimus, duos generat filios: quorum maior Perseus, e Gnathaenio pellice, nihil habebat regium nisi regnandi cupiditatem; minor Demetrius, legitimo toro natus, iis omnibus excellebat, quae praestantissimum regem promitterent Macedoniae, nisi nimius Romanorum favor exitio adolescenti fuisset. vicerat Philippum saepius T. Quintius Flamininus assertaque in libertatem Graecia, quam Philippus oppresserat, obsidem Demetrium duxerat in triumpho; quo tempore adolescens omnium in se ocu-los animosque convertit. cum deinde Philippum universa Graecia accusaret Romae, legatus pro patre Demetrius tanto favore exceptus est, ut in filii gratiam patri Senatus ignosceret. inde Demetrio honoris et apud Macedones gratiae plurimum, spes regni haud dubia, sed et animus paulo inflator nec satis cauti sermones; odium vero, invidia, suspicione a patre fratreque. pater nova in Romanos bella et foedera clam parabat, in primis cum Bastarnis, e quibus princeps regius sororem in matrimonium obtulit, alterutri filio regis iungendam. interea non desistebat Perseus apud patrem, nunc Romanorum amicitiam, nunc proditionem etiam Demetrio obiectare. quod cum sentiret iuvenis, fugam ad Romanos per Paeoniam meditatus est, cum Philippus Aenum montem summo labore conscenderet, prospecturus exercitui in Italiam iter, Demetrio interim per honoris speciem a se amandato. proditum fugae consilium et factae a Perseo T. Quintii literae ita commoverunt regem, ut veneno oblato Demetrium innocentem occideret; quem, hausto iam veneno, suffocare etiam aggressi sunt inimici, simplici parricidio non contenti. cognito rex per Antigonum Persei scelere adeo doluit, ut et excluso fratricida Antigonum destinaret regni haeredem et ipse paulo post occisi filii desiderio extabesceret; cui deinde Romani, everso Macedoniae regno ductoque in triumphum Perseo regum ultimo, magnifice parentarunt. Livius a l. 24 ad 46, maxime l. 39 et 40; Iustinus l. 32; Plutarchus in Arato, Paulo Aemilio et T. Quintio Flamin; Pausanias in Corinth.; Polybius Legat. Excerpt. 46.

II. Huius Tragoediae heros, etsi Vlysses aut Annibal non est, multa tamen afferit poemati decora, seu gravitas negotiorum seu motus animorum desideretur. gentis utriusque, Romanae et Macedonae, potentia, magnitudo et aemulatio, quae ex omnibus paene scenis translucent, mentes audiuntur excitant. Macedones antiquo, Romani novo orbis imperio elati, ita inter se contendunt, ut Demetrio non suus tantum populus faveat, sed ille etiam, qui viribus et maiestate vincit. versatur in spectatorum animis ac propemodum oculis ingens illa fatorum mutatio iamque impendens conversio summi imperii, quod Monarchiam dicimus, paulo post a Macedonibus ad Romanos in perpetuum transferendi. supremam hanc gloriam consecuta est Roma, dum nostri huius Demetrii necem in Perseo deinde ulciscitur. characterem herois, antequam in conspectum se det, ex ore Persei conognoscit auditor, familiariter ad amicum dicentis:

*Magnanimus, ardens, liber, ingenuus, potens
Carusque cunctis; et mihi carus foret
Et ante cunctos, ni meus frater foret.
Hoc crimen illi est unicum, quod frater est.*

Aperta haec, ab hoste capitali profecta confessio plus habet ponderis quam amicorum quaeunque, dum virtutis testimonium ipsi invidiae odioque summo extorquet. ne bellicas quidem laudes in eo desiderari passus sum, Pausaniae historia fretus, qui in Messeniis praecaram De metrii expeditionem contra Messeniam et Ithomen recenset. illud etiam favori et miserationi non mediocre incrementum addit, quod, cum in Romana legatione Demetrius Macedoniae quietem, parenti regnum et pacem conservasset, ab eodem patre nunc iusti ac debiti praemii loco exitium ferre cogitur.

III. Sed hoc ipsum tibi, Lector Benevole, videbitur fortassis intolerabile, quod usque adeo ingratus pater benefactis malefacta reddit idque impune. verum ipsa historia Philippum absolvit, culpamque omnem in impium fratrem Perseum transfert: illius enim diuturnis criminationibus plenam denique fidem apud patrem fecere, quemadmodum narrat Livius, factae T. Quintii literae, in quibus proditionis reus Demetrius aperte ostenditur. accusatione tanti ponderis obrutum damnare pater sine iniustitiae nota potuit; imo cum eadem iustitiae et magnanimitatis laude, qua Bruti se veritatem celebramus, paternae caritati amorem boni publici anteferre ausi: nam innocentia, Philippi incognita, miserandum principem tueri non ante potest, quam ubi sero intellecta, Philippi quidem lacrymas ubertim elicit, sed vitam iam morienti non servat. multo operiosius negotium est et in hac Tragoedia et in iis omnibus, in quibus a patre filius interimitur, ut satis credibile poeta efficiat, paternum animum intra unius diei spatium usque ad occidendi filii consilium descendere. in homine fero et barbaro immanis crudelitatis impetus repente procurrere eo usque potest; sed Philippus talis nec in historia legitur nec esse apud me salvis Tragoediae legibus potuit. gradatim eo deducendus mihi Philippus fuit, sed intra horas tres quatuorve, ac demum impellendus sic, ut veri simile fieret, a tali rege talem filium tam subito morti addici. hoc si perficerem, maiorem gratiam a viris prudentibus et humanam naturam intuentibus speravi me initurum, quam si caecis eventuum filis et agnitionibus quibuscumque involverem omnia et implicarem. ante ipsum Tragoediae exordium iam pridem exulceratus Philippi animus est et indignatione adversus De-

metrium ac multiplici suspicione impletus. talem apud me in theatrum afferit mentem, qualem ei ex historiae fide Livius et Iustinus contra filium tribuunt. nec unquam in hac Tragoedia Philippus in scenam prodit, quin argumento aliquo novo vetus eius odium in Demetrium inflammetur. hinc Persei calumniae, hinc ipsae Demetrii res praecclare gestae irritant et exasperant regem. denique Romanorum patrocinium, quo nihil videri poterat ad principem defendendum validius, miserum ruina involvit. Actu V. Scena II. veluti decretorio certamine rex a Legato Romano ita urgetur, ita loco pellitur, ut consistere nusquam possit; tentatis incassum omnibus, cum effugere se non posse videt, extreum Romani Senatus mandatum accedit, quo consilia sua omnia iugulari intelligit. hoc imperium ultimum ei desperatam illam vocem exprimit, initio Scenae tertiae eiusdem Actus: *obediatur.* superveniens Perseus ea omnia congerit, quae aestuantem iracundia patrem ad perden-dum absque mora Demetrium possunt impellere.

IV. Impietatem Persei abominandam, quae omnibus seculis horrori fuit, sine poena e theatro dimittere fas non erat. equidem dingo eum supplicio post aliquot annos affectit Roma, exutum re-gno, vinculis onustum, triumpho et custodiae perpetuae addictum. sed haec, tanto temporis inter-vallo a Demetrii obitu disiuncta, in eandem Tragoediam campingere non sum ausus; nam etsi celeber in Germania poeta tragicus id facere non dubitavit, eius tamen exemplo tutum me fore ne-quaquam speravi. Thomas Cornelius, Petri frater, merito sufficere credidit, si acerbum hoc sup-plicium, quod per temporis rationes exhibere non posset, certo subeundum praenunciaret; cum satis hoc modo spectator sentiat, ne principibus quidem impune abire, quae contra ius et fas pa-trarint. quis tamen has poenas praediceret? in Cornelii Tragoedia Philippo regi datum est id ne-gotium, qui Scena ultima vaticinantis instar futura aperit et, si iustum modo caelum sit, ait fore, ut Romani crimen Persei castigent et vinctum triumphi ignominiae destinent. dubitare tamen licet, an haec satis convenient Philippi superbiae, qui, cum bellum Romanum eo ipso tempore animo agitaret et Macedonum vires hostilibus pares duceret, laureas et spolia Macedonum regno obventura, non clades et probra ultima augurabatur. aliam ego viam tentavi et Legati Romani ore, non ut prophetae vaticinantis, sed ut viri gravis cavere iubentis et minitantis, ita Perseum al-locutus sum:

*Fortasse fratrem perdere muliebris furor
Et fallere patrem poterit; at Roma id nefas
Non sinet inultum: purpura obtingat licet,
Ne veste pulla purpuram hanc mutes, vide,
Ne genua nostri prendere aliquando ducis,
Ne lacrymis eluere cogaris scelus
Romaeque praesens esse, sed nunquam redux.*

Quae quanquam certo eventura nemo hominum nosse illo tempore poterat, vere tamen et singu-latim impleta suo tempore fuisse spectatores ex historia sciunt. ad haec praesens etiam poena, eaque luculenta et regia, Perseo a rege patre denunciatur, dum ad finem catastrophes eum ha-ereditate et succedendi iure privat regnumque Macedoniae Antigono principi, Demetrii amico, a se traditum iri apertissime profitetur. neque id arbitratu meo fingitur: nam ita Philippum decre-visse, e Livio et Iustino compertum est.

V. Legatus Romanus in mea Tragoedia idem est, qui ad regem Philippum missus in historia le-gitur. magnitudinem et maiestatem Romae, qualis eo tempore fuit, in eo spectare licet. urbs re-gum dominatrix est, quae leges accipere cogit et omnia eo vertit, quo ipsius utilitas suadet. cete-ras quoque personas, Antigonum principem, Xyчum amicum Persei et Paeoniae praetorem Didan, veritati historicae quam simillimos feci. Cotto princeps Bastarna opportunatatem non unam mihi praebuit, ipse quoque ex historiae solo creatus, narrantis, oblatam Philippo Macedonum regi a Bastarnarum principe regio sororem virginem, quam filiorum alterutri in matrimonium colloca-ret. Thomas Cornelius, relicto fratre, sororem in theatrum educit, quam Erixenam vocat. haec meta est, in quam ambo fratres, Perseus ac Demetrius, per Tragoediam totam collineant; huc vota, huc consilia omnia unice tendunt. rivalitate illa fratrum et amantium trium suspiris mutuis Actus omnes implentur, adeo, ut Tragoedia non morum, sed amorum schola sit deque sua gravi-tate ad effeminatae elegiae mollitudinem descendat. amoris occasionem, quam praebebat historia, ne ego quidem repudiavi; sed operam dedi, ut amor condimentum esset, non ut convivium. Gallicus ille Demetrius Actu quarto Scena quinta, postquam in theatro deinceps non appetet, iis intemperiis agitur atque ita de sua Erixena cum rege patre agit, ut reverentiae, iuris, naturae ob-litus esse prae amoris vehementia videatur. non dubitat conceptis verbis minari Philippo, nisi ce-dat Perseus et Erixenam sibi relinquat, se dolori suo fratri sanguine facturum satis. eo etiam pro-rumpit, ut exclamat:

*Nil iam timebo, hoc unico amissō bono,
Rerum universa machina intereat licet.*

Non summum dntaxat, sed unicum bonum in thalamo collocat eoque averso orbis terrarum ruinam pro nihilo dicit. ibidem Didae praetori, consiliis suis adverso, praesente Philippo patre, necem minatur; et increpante Philippo proterviam, easdem minas redintegrat, iurans etiam, se vel inspectante patre Didan furori suo immolaturum. tui, Lector Benevole, iudicii est, quid de his moribus statuendum censeas. ego unum addam ex Aristotele, personas in Tragoedia peiores esse, quam necesse sit, non debere.

VI. Dum in Corneliani Demetrii mentionem incido, celebris illa occurrit quaestio, an aut quantum primaria poematis actio mutari a poeta possit et ab historica veritate recedi. Thomas enim Cornelius Demetrium non veneno, sed ferro, nec alieno scelere, sed sua manu cadere fingit, ob amissam Erixenam aegritudine animi ac desperatione victum; quorum utrumque monumentis historiae notissimis aperte repugnat. plerique ita sentiunt, actionis primariae summam et caput a theatali poeta servari integra et intacta debere; cetera, quae circumstantiae appellari solent, mutari eius arbitratu posse. dum gladium Cornelius veneno subrogat, haud dubie id ad rei adjuncta pertinet neque ipsam actionis primariae summam attingit. quod ipse Demetrius violentas sibi manus affert, multis videbitur ipsum actionis caput et summam evertere; fortasse tamen non derunt, qui etiam hoc ad circumstantias ablegent et poetae potestati ac iuri non inviti permittant. ego cum Demetrium scriberem, de hac Thome Cornelii Tragoedia ne cogitationem quidem suscepit; sed, si eius tam memor tunc fuisse, quam fui immemor, nunquam tamen imperare mihi potuisse, ut duas has eius mutationes relicta historia imitarer. veneni loco ensem diligere, tantum abest, ut ultro vellem, ut mortem veneno allatam etiam longe paeferam; ferrum enim repentinio exitio heroem tollit eodemque ictu eius vitam et spectantium affectus praecedit. at virus haustum moras patitur et sermones morientis admittit et finiri negotia patitur et astantium singultus et lacrymas ante obitum heroi ostendit; quae omnia quantum miserationem adiuent, experientia et ratio docent. in Gallico quidem theatro nihil intererat, veneno an gladio periret iuvenis regius; cum enim extra conspectum moriatur Demetrius, imo totius Actus quinti tempore spectatorum oculis subducatur, genera mortis omnia ad motus animorum diuturnitate alendos aequae sunt inutilia. sed incredibile dictu est, quantum amittat Tragoedia, si heros moriens celetur spectantium oculis; praesertim si toto Actu ultimo, qui summum exigit incrementum affectuum, ille e scena removeatur. nec mutationem alteram ulla mihi ratio persuaderet: tum ne fidem amitterem spectatorum, quos timerem dicturos, ‘non se occidit Demetrius, sed a patre ac fratre occisus est’; tum ne rem pessimi exempli absque omni necessitate docerem, desperationem et sui ipsius caedem propter unius mulierculae iacturam; tum ne contra praeceptum Aristotelicum in Poetica peiorum Demetrium facerem, quam sit opus, affingendo ei scelus ultimum voluntariae necis, quam etsi inter virtutes mirarentur antiqui, si quis eam sibi virtutis amore conscisceret; iidem tamen, si e desperatione mera oriretur, ipsi quoque damnabant et contemnebant. felicissimus poeta tragicus, Antonius Clausius, quoties in theatris pluribus Stiliconem ostendit coniuratione in lucem protracta, ipsum sibi manus attulisse finxit; at ubi Tragoediam hanc cum ceteris iuris publici facturus, ad limam ultimam omnia revocavit: ad historiam, quam ante reliquerat, consulto reversus est; nec iam sua manu Stiliconem tollit, sed iustitiae tradit abducendum et supplicio afficiendum, quemadmodum rem contigisse illorum temporum historia docet.

VII. Complures interrogarunt, cur Actus ultimi Scenam septimam tantopere contraxerim nec innocentiam Demetrii Philippo patri pluribus demonstrarim; Xychi enim confessio de literis nomine T. Quintii fictis ita brevis est nec ullis argumentis munita, ut mirum sit, suspiciosissimum regem affirmationi tam nudae tam celeriter credere. dicam, quid reposuerim; nam et lectores in eandem dubitationem delabi facile possunt. Scena illa fieri longior nec debuit nec omnino potuit. Antigonus, ut narrat Livius, e Xycho elicit arcanum illud scelestum, quo literas Quintii Perseus finixerat earumque maxime invidia Demetrium ceu proditorem et parricidam oppresserat. statim ergo Antigonus ad Philippum accurrit, falsitatem accusationis indicat, Xychum fraudis administrum ostendit. fatetur Xythus et veniam supplex rogat. sufficere haec debent Philippo, ut vel penitus innocentem Demetrium credit vel certe literis Quintii moveri desinat, quarum dolum reus ipse Xythus negare non audet; non obiecturus ultro caput suum tanto periculo, sed inficiaturus crimen, si suam et Persei innocentiam tueri posset. longior ergo confessio haec esse non debuit, sed ne potuit quidem. urget suprema necessitas, quam rex Philippus illo versiculo indicat: *Modo ne venenum filius iamiam hauserit.* Demetrio succurrere, executionem suspendere, vitam eius discrimini praesentissimo eripere necesse est; narrationem Xychi audire, argumenta in utramque partem librare, conferre cum Perseo, haec agitare deinceps licebit. Demetrio mortuo vitam reddere non licebit.

VIII. Poeta superioris seculi Cremifanensis in Austria inter alias Tragoedias, quas ad illorum temporum normam factas in lucem edidit, Demetrio titulum hunc praefixit: *Innocentia dolо circumventa;* aptissime hoc ad concitandam miserationem in nobilissimum iuvenem. superest officium Tragoediae alterum, terror, qui nimirum, uti definitio Tragoediae poscit, spectatorum animos purget et cupiditatem vitiumque dedoceat. philosophicum hunc et poeticum terrorem consequi me posse non speravi, si Demetrium omnis omnino vitii expertem scenae committerem. et subministrabat historia, quod vitio verti iure posset, libertatem linguae nimiam. occasio haec est documenti ad mores et vitam humanam utilissimi: eadem enim culpa, quae Demetrio nocuit, aliis nocere innumeris solet. ne tamen auditoris favorem in Demetrium imminuerem, occasionem studiose captavi, qua vitium excusando extenuarem. tota autem Tragoedia attente considerantes ita monet: noli esse linguae immodicus; quantacunque enim tua sint merita, quantumvis potentes amici, quantumvis illibata in ceteris innocentia, hic unus tumor perniciem tibi accire potest. fabula generalis, ad mentem Aristotelis nominibus propriis omnibus spoliata, duobus illis versiculis comprehenditur, quibus Legatus Romanus totam Tragoediam finit:

*Princeps amatus exteris, carus domi,
Favore nimio elatus, heu, cedit a suis.*

Personae

Philippus	rex Macedoniae
Perseus	filius Philippi maior
Demetrius	filius Philippi minor
Q. Marcius	ab Romanis ad Philippum legatus
Cotto	princeps Bastarna
Antigonus	Antigoni Macedonum regis ex fratre nepos
Didas	praetor Paeoniae
Xychus	Perseo familiaris
Milites	
ceterique Comites	

<Vmbra Alexandri M.>
 <Genius Romae>
 <Comites>
 <Nuncius>

<Ariobarzanes>	<Darii filius>
<Ariobarzanis Armiger>	
<Darius>	<rex>
<Chorus Persarum>	

Scena figitur Heracleae, in regia Philippi.

Prologus

Vmbra Alexandri M., Genius Romae, Comites, <Nuncius>

- Gen. Quid ergo Alexander postulat?
Cur ab Elycio huc ad nos remeat?
Alex. Percepi Romani nominis gloriam:
Vestram Macedoniae meae expeto amicitiam.

I.

Hanc dexteram orbis prostratus expavit,
Haec patrio fulmine hostes prostravit,
 Dum velis,
 Dum telis,
 Dum spissis
 Sarissis
Elata in caelum est Macedum sors
Et abstulit hostes aut fuga aut mors.

5

10

II.

Quod mihi tum Jupiter Ammon concessit,
Id Capitolinus per Romam nunc gessit:
 Translata
 Sunt fata,
 Per castra
 Ad astra
Romulidas extulit bellica ars,
Imperium orbis dat filii Mars.

15

20

III.

Hos socios colant Macedones mei,
Participes laudis et bellicae rei:
 Sint acta
 Haec pacta,
 Sit una
 Fortuna,
Sit Gordium vinclum haec foederis vis,
Quod nulla dissolvat aut distrahat lis.

25

Gen.	Placet amicitiae vinculum, Cuius obsidem habeo Demetrium, Macedoniae decus et corculum.	30
Alex.	Scio heroem iuvenem, Amicum Romae et hospitem. A me fundata est Macedonum gloria; Sub altero Philippi filio fiat nunc maxima.	35
Cho.	Dii, fortunate omen! Romae Macedumque nomen Crescat in Demetrio, In Philippi filio. Io, impleatur omen, Neque minus Magni nomen Hic Philippi filius Mereatur inclytus. Dii, fortunate!	40

Prodiens.

Nunc.	Heu, laetum paeana omittite, Demetrio principi mecum ingemiscite.	45
-------	--	----

I.

	Ah, siqua pietas, Ah, date lacrymas! Iuventae flos pulcerrimus, Graecorum spes Demetrius,	50
	Heu, subito opprimitur, Extinguitur.	

II.

	O princeps eminens, Sic peris innocens? Romani amor nominis Nullius reum criminis	55
	E culmine in praeceps dat Et enecat.	

III.

	O Macedonia, Ingrata patria! Afficto pressus crimine, Damnante patre iudice, A fratre frater perditur Et moritur.	60
--	--	----

- Alex. O casum improsum!
O facinus utrisque invisum! 65
- Gen. Et Romae amor perdit insontem?
- Nunc. Hunc solum habuit calumnia fontem.
Heu, linguae libertas noxia,
Quanta subis saepe supplicia! 70
- Gen. Illustrē vitium est, esse linguae immodicum.
- Alex. At crimen immane est, damnare innoxium.
- Gen. Lues, lues, Macedonia.
- Alex. Probo iram; age, flagitium vindica.
- I.
- Alex. Age, Roma:
Sontes doma. 75
- Gen. Vindicabo
Nec cessabo.
- Alex. Vindica iniquam mortem,
Vindica amici sortem. 80
- Gen. Vindicabo saevam mortem
Et amici diram sortem.
- Ambo Stat tetur crimen plectere,
Nec iustum iram possit quisquam flectere.
- II.
- Alex. Tam nocentem
Perde gentem. 85
- Gen. Tam nocentem
Perdam gentem.
- Alex. Sterne valla, verte tecta,
Luat regum stirps resecta. 90
- Gen. Sternam valla, vertam tecta,
Luet regum stirps resecta.
- Ambo Indigni diademate
In servitute poenas dent pro scelere.

	III.		
Chori	Pars I.	Age, Roma: Sontes doma.	95
	Pars II.	Vindicabit Nec cessabit.	
	Pars I.	Vindica iniquam mortem, Vindica amici sortem.	100
	Pars II.	Vindicabit saevam mortem Et amici diram sortem.	
Omn.		Stat teturum crimen plectere, Nec iustum iram possit quisquam flectere.	

Actus primus

Scena prima

Perseus, Xychus

- Pers. Tandem triumphat Perseus, tandem patris
Devictus animus cessit insidiis meis.
Optata nobis tamdiu illuxit dies:
Lustrale Sacrum, nuper infausto omine
A fratre ruptum, facere rex iterum iubet;
Quo perpetrato, milite atque aula palam
Diadema avitum Perseo imponet parens,
Tandemque, victo fratre, successor throni
A patre destinatus agnoscar, Xyche. 105
- Xych. Dies beata, qua mihi primo licet
Audire summam gaudii ac voti mei
Et gratulari Perseo sumnum hunc gradum.
Quantum stupebit frater, ad nos cum redux
Cinctum corona Persei cernet caput! 110
- Pers. I nunc mihi, frater, insulta, insolens!
Iacta patronos, Quintii et Romae cliens!
Tu castra sequere, bella Bastarnis move
Obsessaque ante moenia illusus sede;
Absent dum Demetrio hanc frontem teget
Insigne regni, tu tuam galea preme.
Quanquam, fatebor, nil habet Demetrius, 115
- Quod iure damnes; criminis reperi nihil,
Nisi, Xyche, quod me est melior et vincit nimis.
Hoc peccat unum, quod nimis dignus throno est.
- Xych. Et nimia virtus saepe preevitio nocet.
- Pers. Magnanimus, ardens, liber, ingenuus, potens
Carusque cunctis; et mihi carus foret
Et ante cunctos, ni meus frater foret.
Hoc crimen illi est unicum, quod frater est. 120
- Xych. Inexpiable hoc et aeternum est scelus:
Regnare quam diu potest, hostis tibi est. 125
- Pers. At hoc timore liberat tua me fides,
Brevique fratrem ... sed quid hic aeris sonus?
Heu, timeo fratrem, nequid intentet mali.

Scena secunda

Perseus, Xychus, Didas

Scena tertia

Perseus, Xychus, Didas, Demetrius, Cotto *captivus inter Milites*

- Dem. Licet decetque, frater; et grates tibi,
Qua mente gratularis, hac refero lubens.
- Pers. Captivus hic, an fallor, est Cotto meus?
- Cott. Cotto est, amice, Macedo quem vinclis gravat;
Gemeretque mecum pariter in vinclis soror,
Nisi maluisset liberam victor domi
Illacrymare patriae eversae malis.
- Pers. Humanitasne tanta victori fuit?
Clondica nempe molliit Demetrium,
Manusque victas virginis hic heros dedit.
- Dem. Noli exprobrare, frater, illustres faces:
Non erubesco, principem princeps amo
Pridemque amavi; non caret hic oculis amor:
Clondica digna est, dignus illius gradus;
Nil humile prenso, non colo Gnathaenium.
- Cott. Et quo facilius cedat his flammis soror,
Vastata patria efficiet, et Peuces rogus
Amoris ignes subdet et manicae meae.
- Dem. Ah, Cotto, cessa. vulnus, heu, quantum innovas?
Nempe hoc videbam, petere Bastarnas pater
Cum iussit armis ac tuam Peucen premi:
Ardebat animus obviam ferri in necem,
Clondica sola terruit amantis manum.
Horrebat animus; quid tamen facerem miser?
Iubente patre nonne parendum fuit?
Pietas amorem vicit, invitum licet;
Et ipsa facinus, credo, Clondica hoc probat.
Certe probabit et dabit veniam reo,
Cum se doloris fregerit sensim impetus.

Scena quarta

Philippus, Antigonus, Piores

- Phil. Rediitne natus?
Pers. victor et rex huc redit.
- Dem. Diu superstes impera, rex et pater,
Finesque Macedum patrios felix rege
Et victor auge. fert tuum domitus iugum
Bastarna, et Ister victa te Peuce colit.
- Phil. Vltrone se subiecit, an capta est manu?

- Dem. Armonia nullo sanguine aut pugna stetit;
 Namque incolas communis abstulerat fuga,
 Interque montes quaesiit latebras pavor.
 Ergo occupatis moenibus, signa effero
 Pergoque ad Istrum, qua tumens Peucen rigat. 205
 Vbi iussa sese dedere, obsequium negat,
 Vi pressi eadem, qua tuo iussu trucem
 Concussi Ithomen nuper arcemque inclytam
 Messeniasque te tremere docui plagas.
- Pers. Sed hic repugnans arma et invitus tullit; 210
 Clondica quippe terruit amantis manum.
- Dem. Solus ego vici, frater; et solus loquar.
 Diu assidere moenibus puduit, pater:
 Iacta per Istrum mole, committo insulam
 Et continent iungo; traiicio meos 215
 Murosque tandem supero. sed atroci impetu
 Multoque fuso sanguine est emptum decus.
 Nec contineri militis potuit furor,
 Quin victor ignes spargeret et auctae faces
 Ferente vento perderent tecta omnia. 220
 Dum castra miles interim et bustum obtinet
 Reliquosque captos servat, ego claves fero
 Vrbis receptae, nuncius palmae novae,
 Vinctumque gentis principem adduco tibi.
- Phil. Indigna vincla solvite. audivi omnia. 225
 Maiora voto, nate, gessisti meo.
- Dem. Maiora porro gerere pro patre ardeo:
 Vt pace iuvi patriam Romae et patrem,
 Ita bella nunc stat gerere pro patria et patre.
- Phil. Agnosco, fili: debedo quietem tibi 230
 Romamque amicam, quae tibi pacem dedit,
 Quam mihi negasset; filius maior patre es,
 Te patria tota pacis auctorem colit.
 Sed nunc quiesce et balteum pone interim.

Scena quinta

Philippus, Perseus, Cotto

- Cott. A te solutus, liber et princeps loquar. 235
 Sic tu, Philippe, regiam praestas fidem?
 Abiere menses quinque, cum Pellae sacrum

	Tecum ferirem foedus; id tu nos prior Vltro obsecrabas, odio in Ausoniam flagrans. Coiere pacta; principes gentis meae, Suadente me, secreta consilia approbant.	240
	Ego sororem virginem sponsam offero, Quam filiorum alteruter inducat toro, Et ficta bella mutuo placuit geri, Ne suspicari foedus Ausonii queant.	245
	Ergo, ut volebas, Armoni nostri fugam Capiunt, relictis moenibus nato tuo. Peuces deinde obsidio, pactorum ex fide, Simulanda fuerat, bellaque in longum diem	
	Trahenda, ficto ludicri Martis dolo, Matura donec omnia in Romam forent.	250
	Nempe imparatos nos in exitium dare, Inferre cladem moenibus, niti dolis Romaeque socius verba deceptis dare Et vim volebas tutus inferre et faces.	255
	Sed non inulti damna Bastarnae ferent! Rex, iuro cineres patriae et Martem deum, Manes meorum iuro: perfidiam lues Tantisque nostris cladibus facies satis.	
Phil.	Sed et ego testor iuroque Ammonem Iovem Sanctumque regis nomen et patrios deos, Nescisse me, quae gesta sunt Demetrio, Mihiique tam dolere, quam vobis dolent.	260
	Invise fili! semper o coeptis meis Obstaculum fatale! sed iuro, lues, Satisque faciet poena Bastarnis tua.	265
Cott.	Quorsum igitur ista filius?	
Phil.	Peuces ego	
	Iussi obsidere moenia et lenta fame Finxi perire posse conclusum incolam; At praemonueram, satis et annonae fore Vestrīs didiceram literis. recte omnia	
	Sancita per nos iuvenis evertit furor. Quis mole iacta crederet in Istri alveo Ad insulam atque urbem usque facturum viam?	270
Pers.	Hoc nempe specimen roboris voluit sui, Romae ut placeret; namque Legatum Italum Haud procul abesse Marcium norat satis.	275
Phil.	Infāuste fili! foedus hoc per te perit, Violas amicos; tecta sociorum ac opes, Florem meorum militum perdis simul!	
	Sed punieris, arrogans! at tu modo Philippi amici, Cotto, ne damna fidem	280

	Tuosque placa. damna Romani luant, In hos eamus. paululum tantum sine Iras acerbas tegere simulata fide, Vt non opino fulmine in inermes ruam. Tuae sororis regiae felix torus Sit arrha fidei. filium sponsum elige.	285
Cott.	Demetriumne?	
Phil.	Perseus vinclum novum Vtriusque gentis nectat hymenaeo inclyto. Romae satelles, insolens Demetrius, Hostisque vester summus ac forte et meus, Nec aptus est nec dignus hoc vinclo procus.	290
Pers.	Nec Cotto id unquam siverit; procus est tamen, Et gloriatur virginis amore insolens.	295
Phil.	Nunquam obtinebit: faxo, spe tanta excidat.	

Scena sexta

Priores, Xychus

Xych.	Rex, Quintus ille Marcius, Sparta redux, Nomine Quiritum rursus affatum petit.
Phil.	Dii! sed adduc. interim, princeps, vale.

Scena septima

Philippus, Perseus

Phil.	Quid rursus in me Marcius? et ista die, Qua te parabam dicere haeredem throni? Vt amoverem filium, in castra expuli; Molestus ille, ut semper est, hodie reddit Victorque laurum clade peiorem refert. Nunc et reversus Marcius coepta impedit.	300
Pers.	Quid si vocatu fratriis is nobis adest?	305

Scena octava

Philippus, Marcius

- Marc. Philippe rex, auditus est nobis labor,
 Quo montis Aemi nubila exuperans iugum
 Nuper petisti, commodam, credo, viam
 Speculatus inde et imminens coeptis novis,
 Hinc cum videres Adriam, hinc Ponti freta
 Alpesque et Istrum, nostra tuaque, uno e loco.
 Mirantur omnes, quid labor tantus petat;
 Late per omnes exteros rumor volat,
 Aliquid parari, bella meditari nova,
 Demetrium abfuisse, cum peteres iugum. 310
 Consilia Romae noxia parari putant.
- Phil. An ista credit Marcius? post tot meae
 Documenta fidei, millies Romae data,
 Quia visere Aemum lubuit, an rupi fidem? 315
- Marc. Obsequia memini, rex, nec accuso fidem;
 Meminit Senatus bellum in Antiochum grave
 Felixque te iuvante. Scipiadas duos
 Quantum colueris quamque opem tuleris, scio;
 Scio coronae regium donum aureae. 320
 Sed et Senatus multa dissimulat bonus
 Praeterita, patitur multa vel nescit sciens
 Cunctaque remisit filio Demetrio:
 Integra per illum cuncta nobiscum tibi.
 Sed ut ista Romae certa sint, tamen exteri 325
 Si perfidum te nosque tibi spretos putent,
 Id turpe nobis nec tibi decorum foret.
 Senatus ergo publicum signum petit
 Certumque amicae mentis, ut fiat palam,
 Sibi ceterisque, stare te pacta fide. 330
- Phil. Quid poscis ergo?
 Marc. filium comitem viae
 Romaeque pignus.
 Phil. esto, do Demetrium,
 Vobis amicum: denuo Romam petat.
- Marc. Demetrium hinc abire Bastarnae haud sinunt.
 Peragenda iuveni bella, quae coepit bene.
 Verbo Senatus Perseum poscit sibi. 335
- Phil. Cur potius istum? filius uterque est meus.
 Marc. Dixi, Senatus Perseum poscit sibi.

Phil. *Responsa dabimus illico, ipsius tamen
Exquirere ante Persei mentem iuvat.*

345

Scena nona

Marcius, Demetrius

- | | | |
|-------|---|-----|
| Marc. | Videre amicum gaudeo, Romae hospitem,
Dum gloriose victor e bello reddit. | |
| Dem. | Placere Romae lauream hanc pae laurea est,
Victoriaeque principem hunc fructum reor. | |
| Marc. | Semper favebit Roma paeclarae indoli.
Id vereor unum, Roma ne noceat tibi,
Prodesse dum vult. | 350 |
| Dem. | Roma mihi, Marci, queat
Nocere amica? | |
| Marc. | et meritus es, princeps, coli
Et, ut mereris, cultus es: pacem et patrem
Tuamque gentem Roma donavit tibi;
Hinc odia nata Persei atque in te furor,
Ipseque Philippus invidet decus hoc tibi. | 355 |
| Dem. | De fratre, sperno; nec timeo patrem innocens. | |
| Marc. | Princeps, monentem patere: magnifice quidem
Vereque sunt haec dicta, sed regi haud placent. | 360 |
| Dem. | Quae sentio, loqui soleo. | |
| Marc. | dum caute modo.
Ignosce, princeps: notus hic Romae favor
Regnique spes Demetrium paulum extulit;
Sed cogitemus ista, quis cogit loqui? | |
| Dem. | Agnosco, Marci, fateor, hoc vitium meum est. | 365 |
| Marc. | Illustre vitium, non nego; vitium tamen.
Magnanime princeps, obsecro, linguae cave;
Nosti Philippum: patris ingenium ferox
Audire refugit vera, neque natum decet
Lacessere patrem. | |
| Dem. | Quinte, mihi vera obiicis. | 370 |

Chorus I.

Ariobarzanes, Darii filius, Ariobarzanis Armiger,
Chorus Persarum, *deinde* Darius rex

Armig. Princeps, paratum est sacrificium,
Quo Solis numen fiat nobis propitium.

Ariob. Agite, hostiae sertum imponite,
Bracteam fronti praetendite;
Molam date,
Securim parate.

375

Cho. *praeante Ariobarzane*
Mithra, o Persarum numen,
Caeli terrarumque lumen,
Mel hoc tibi fundimus
Votaque concipimus.
Vt hic equus tibi cadet
Nec securis vim evadet,
Ita cadat Macedo
Stratus ferro Persico.

380

Ariob. Primus libo, primus hostiam ferio,
Tibi, Mithra, hanc libens dedico.
Sacerdotes, perficite cetera.

385

Prodiens.

Dar. Sistite, alia poscitur victima.

Ariob. Quid ita? haec rite est lecta.

Dar. Tace, fili. omnia a me sunt detecta.

390

Ariob. Heu, pater, irasceris filio?

Dar. Irascor proditori, irascor impio.

I.

Ariob. Parabamus victimam.

Dar. Dabo nobilissimam:

Meo sanguine litabo,
Filium dum immolabo.

395

Ariob. Quid peccavit filius?

Dar. Tace, non auditur impius.

II.

- Ariob. Sol, qui cuncta aspicis ...
 Dar. Ille scit, quam insons sis;
 Ille vidit, immerentem
 Cum tu proderes parentem.
 Ariob. Mithrae testor numina.
 Dar. Protulit in lucem omnia.

III.

- Ariob. Miserere filii!
 Dar. Scelerati, impii?
 Qui me parat trucidare,
 Qui me hosti immolare.
 Ariob. Miserere, pater mi.
 Dar. Tace. haecne de te merui?

- Ariob. Heu, miserum quis me iuvabit,
 Si ipse me pater damnabit?
 Armig. Ah, rex mitissime,
 Audi supplices, precibus flectere.

I.

- Semper mitis est Darius,
 Semper pius:
 Damnabitne filium?
 Audis postremorum preces,
 Horres infimorum neces:
 Et damnabis filium,
 Filium carissimum?

II.

- Fuit natus semper fidus,
 Regni sidus:
 Et credetur impius?
 Rex, fortasse latent fraudes:
 Respice priores laudes,
 Nec credatur impius
 Pius semper filius.

III.

- Quo Persarum, heu, terrore,
 Quo dolore
 Princeps cadet regius?
 Quantum tibi paras luctum,

Nimii rigoris fructum,
 Patre si dicente ius
 Princeps cadat regius?

435

Ariob. O pater, placare,
 Insontem filium ne aversare.

Dar. Iniicite vincula.
 Proditor non est soboles regia.

Cho. Iudex es in tua causa:
 Nihil praeceps statue
 Nec de tuo pignore
 Crede tam nefanda ausa.

Dar. Dabo hoc vestris precibus,
 Iudicium de filio permittam ducibus.

440

445

Actus secundus

Scena prima

Philippus, Marcius

- Phil. Vt ergo videas, stare me pacta fide,
Nihil negabo: Perseus Romam migret.
Quanquam poposcit Roma rem nobis gravem,
Maiore natu filio ut caream pater,
Tamen, Senatus ne queri de me queat,
Suspicio ut omnis excidat, careo volens. 450
- Marc. Sic tibi viciissim spondeo Romae fidem,
Tantique pretio pignoris nobis dati
Se Romae et orbi candor ostendit tuus.
- Phil. Quin et petitis plura tibi sponte offero. 455
Quo dignorem filium videant Patres,
In summum honoris illico extollam gradum.
Diadema Macedum Perseo imponam hac die
Et nominabo regii haeredem throni.
Honore tanto nobilis tecum viam 460
Cras auspicetur, si tamen tute id probas.
Misi coronam, Quinte, Tarpeio Iovi;
Senatui nunc mittere coronam alteram
In capite nati meditor. ut placeat magis
Fiatque Perseus melior effigies mei 465
Hospesque Roma dignus, hoc capiet decus.
Sic me videre supplicem credet sibi,
Meam ubi coronam curia videbit tua.
- Marc. Favore nimio filium et Romam colis,
Nec expedire censeo tantum decus. 470
Quid, si Senatus credit illusum sibi,
Si collocatum regio cernat gradu
Se nesciente filium et, liceat loqui,
Fortasse nec probante? nec enim te fugit,
Quae Persei in nos odia; nec Romam id latet. 475
Non se tenebit ille: prorumpet ferox
In usitatos oris immodi ci sonos.
Haec affricare, rex, tibi maculam queunt
Odiumque nato gignere et regno et tibi.
- Phil. Ingratus igitur Perseus vobis erit:
Non ergo mittam. displicet comes hic tibi. 480
- Marc. Diadema comitis displicet, comitem peto.

Phil.	Vt ergo Romae regium placeat decus, Det illud ipsa Roma. documentum dabo, Quod obstupescat orbis ac e quo exteris Meisque pateat omnibus, quam vos colam. Quinte, diadema sponte committo tibi: Tu digniori trade et arbitrio tuo Demetrium seu Perseum haeredem elige.	485
Marc.	Magnanima miror consilia et in nos fidem.	490
Phil.	Dixi, coronam utrilibet tradas licet. Imponere meum est; sed cui imponam, elige. Diadema trade cumque eo ad patrem iube Confestim adire; rite tum nostra manu Et more patriae vertici addetur sacro, Cum commodum videbitur Romae et mihi. Tu dignorem ut eligas, Marci, vide.	495

Scena secunda

Marcius, Perseus

Marc.	Accede, princeps. an tibi corona haec placet?	
Pers.	Romane coronas regibus nunc dividet, Quas rapere suevit?	
Marc.	Persee, indignis rapit	500
	Dignisque donat. tune te dignum putas?	
Pers.	Sic perge; stylus hic, Quinte, Romanum decet.	
Marc.	Puto decere, maximeque illum decet, Sua coronam qui tenet vestram manu Et qui, iubente patre, cui malet, dabit.	505
	Ne multa, princeps: ipse sat, credo, vides, Quae sit potestas Marcii et Romae hac die. Hac utar et vos inter hac hora eligam.	
	Conditio sola, qua tibi regnum patet, Haec est, perennem si fidem Romae dare	510
	Semperque amicus vivere et socius velis.	
Pers.	Demetrium cepistis. an Persen quoque Nunc capere tentas?	
Marc.	nec tuum fratrem pudet, Nec est pudendum, Persee, aut illi aut tibi, Nec poenitendum, colere cum Roma fidem.	515
	Romae societas profuit adhuc omnibus, Et ira nostra profuit adhuc nemini.	

- Hinc nostra ubique foedera ambiri vides,
 Prensare nostram dexteram haud urbes modo,
 Sed et potentes supplici populos prece,
 Magnique reges curiam nostram rogant. 520
 Nec nos amicis desumus: fida manu
 Fortique felicique Romanus iuvat.
 Vel sola testis Graecia id docuit palam,
 Cui Flamininus profuit solus magis 525
 Quam dextra magni Niciae aut Alcibiadis,
 Vel Agesilaus vel tua, o Lysandre, vis;
 Nec ipsa Salamin aut Plataearum labor,
 Atroxve Marathon vosve, Thermopylae truces,
 Tantum tulistis Graeciae vestrae bonum, 530
 Quantum una Roma nuper uno in ludicro.
- Pers. Eloquere clare, perge iactare arrogans
 Victos Macedonas, filio narra impotens
 Sui parentis probra ter versi in fugam,
 Adde et triumphum Quintii et fratrem obsidem, 535
 Nostris ruinis Graeciam erectam refer,
 Dictata nobis iura dic, leges datas
 Precariumque denique imperium patris.
 An ista suadent Romae amicitiam mihi?
- Marc. Et ista, princeps: moveat exemplum patris,
 Tibique sapere libeat alieno malo.
 Tacebo gentes ceteras circum undique
 Tanto repulsas impetu et stratas ita,
 Ceu dare voluerint orbis imperium dii. 540
 Sed haec tacebo; cogita tantum patrem:
 Quid ille honoris, quid lucri e bello tulit?
- Pers. Et Macedo tenuit orbis imperium potens.
 Marc. Mi Persee, olim. Roma non tenuit, tenet.
 Fortuna quae te maneat infensem, vide.
 Ego Philippo reddo diadema hoc suum, 550
 Vt aptiori id vertici imponat parens.
- Pers. Demetriine? falleris. si det pater,
 Magnanimus heros subtrahet celum caput,
 Doctus coronas spernere in Romae foro.
 Tu multa de Demetrio spe praecipis, 555
 At pauca referes. is suam Romam luet,
 Nec ego quiescam, et desinet falli pater.
- Marc. Fortasse fratrem perdere muliebris furor
 Et fallere patrem poterit; at Roma id nefas
 Non sinet inultum: purpura obtingat licet,
 Ne veste pulla purpuram hanc mutes, vide, 560
 Ne genua nostri prendere aliquando ducis,

Ne lacrymis eluere cogaris scelus
 Romaeque praesens esse, sed nunquam redux.
 Pers. Pugnemus ergo. si potes, fratrem eripe.

565

Scena tertia

Marcius, Perseus, Demetrius

Pers.	Victor superbus laurea huc infert pedem Victoriaeque praemia coronam petet.	
Dem.	Factis mereri quod queas, recte petas. Sed dii paterque viderint: ego nil peto.	
Pers.	Romanus est hic animus.	
Dem.	haud similis tuo.	570
Marc.	Quousque lites? unus est vobis pater, Sit et unus animus. ipsa natura id monet Similemque speciem vultui utriusque imprimit, Vt pudeat animos gerere dissidio graves; Fratresque produnt oris ipsius notae,	
	Odiisque vestris forma reclamat tacens.	575
Pers.	Quis iurgia ista sevit? a vobis redux Non ante notas retulit huc frater faces, Quas Roma nutrit.	
Dem.	Roma virtutem docet.	
Pers.	Hancne inter alias Roma virtutem docet, Maioris annos spernat ut frater minor?	580
Dem.	Non vereor annos, quando natales tibi Deesse cerno: regius Macedum thronus Sobolem parente pellice infamem haud capit, Spernoque merito filium Gnathaeniae Legitima proles, matre regina editus.	
Pers.	Romaeque servus, hostis et fratri et patri.	585

Scena quarta

Marcius, Demetrius

- Marc. Diadema cernis patrium in nostra manu:
Id digniori me dare Philippus iubet.
Trado tibi, princeps, si tamen dignum edere
Audes corona facinus. 590
- Dem. audebo omnia.
- Marc. Audesne, princeps, vincere hostem et tollere?
- Dem. Bastarna docuit. dic modo, quis hic hostis est?
- Marc. Hostis Quiritum est, hostis et honoris tui,
Hostis Macedonum est, hostis est patriae suae:
Indomitus ille est Perseus, frater tuus. 595
- Dem. Heu, Quinte, maculem caede fraterna manus?
- Marc. Secura non est Roma, non Macedum salus,
Non spes honosve aut vita, Demetri, tua,
Dum vivit iste.
- Dem. vera tu, Marci, quidem:
Plecti meretur multiplex Persis furor;
Sed non meretur crimen hoc Demetrius.
Odisse fratrem et perdere, sit hostis licet,
Natura prohibet. fors scelus frater fove;
Possum ego perire, facere non possum nefas. 600
- Ignosce, Marci: Roma me hos mores docet,
Non emo coronam scelere, ne vitam quidem.
- Marc. Princeps beate, macte virtute ardua,
Tamque generosos spiritus semper fove.
Suadere parricidium Romam putas? 605
- Periclitabar; quaeque cupiebam, audii,
Non tibi daturus splendidum hoc regni decus,
Si mea probasses dicta caedemque impiam.
Amicus esto patriae et nostrae et tuae;
Amato Romam, sed magis amato patrem.
- Frater cavendus, attamen amandus tibi est. 610
- Quod si Philippus bella susciperet nova
Romamque ferro peteret et comitem sibi
Te quoque iuberet ire, tu morem gere;
Ni deprecari liceat, in Romam irrue
- Animoque amicus esto, verum hostis manu. 620
- Ama Quirites tunc et oppugna simul;
Nam gratus illud animus, hoc pietas iubet.
Nunc ego Philippo reddo diadema hoc suum:
Suspecta nimium mea fides regi foret,

Fratri negatam si tibi coronam darem.
 Nec simplici animo callidus fecit mihi
 Hanc optionem regii haeredis pater;
 Quod ego, tametsi cernerem, accepi tamen,
 Vt experirer principum arcanam indolem.

630

Scena quinta

Demetrius, Cotto, Antigonus

- | | | |
|-------|---|-----|
| Ant. | Optatum amori nuncium ferimus tuo. | |
| Cott. | Clondica per me principi grates refert,
Quod exsolutam vinculis rupta mora
Clemens remisit victor in patriam domum.
Munus quoque addit tenue, monumentum sui,
Iugis memoriae perpetem testem annulum. | 635 |
| Dem. | Tam suave munus nulla mihi tollet dies,
Nullumque manui maius accedet decus
Ac annulus tam nobili missus manu. | |
| Ant. | Mittentis animum munus hoc prodit satis:
Est delicatum munus omenque annulus. | 640 |
| Dem. | Bis vinco, bis triumpho, si spes rata est. | |

Actus tertius

Scena prima

Philippus, Perseus

- Phil. Quid reposuisti, nate?
Pers. respondi aspere.
A patre coronam spero, non a Marcio.
- Phil. Romana ride fulmina et cassas minas.
Lusi ego, coronam Marcio quando dedi,
Sinceritatis falleret ut hostem color.
- Pers. Quid si dedisset Marcius Demetrio?
- Phil. Ego digniori munus hoc iussi dare:
Num digniorem tu putas Demetrium?
Num me putare credis? adieci dein,
Me tum daturum regium hoc munus fore,
Cum commodum videbitur Romae et mihi.
Romae videri poterit, at non et mihi.
Sunt mille tituli regibus, siquid volunt;
- Pers. Quid ergo demum Marcius?
- Phil. rursum instituit,
Vt Romam eunti te viae comitem darem.
- Pers. Me dedere hosti ...
- Phil. cede nunc fratri locum.
Tentandus ille est, mente quid tacita tegat.

Scena secunda

Philippus, Demetrius

- Phil. Huc te evocavi, nate, ne porro autumes,
Patere soli Perseo pectus patris.
Audi ergo: sanctam posco secreti fidem;
Deinde, fili, posco consilium tuum.
- Collapsa Macedum gloria et avitum decus
Illudque Magni nomen amissum dolet.

	Pridem superbo Roma nos calcat pede Vicitque, fateor, saepius. cessi fremens, Pacem coactus turpiter petii prior Coluique fidus; arma sociavi diu, Vultuque amico latuit oppressus dolor. Clades repostae pectore sub alto manent, Scotusa semper et Cynoscephalae dolent; Raptae tot urbes, quas ego dextra mea, Sanguine meorum militum pridem emeram Roma probante. denique eversa omnia, Fructus laboris perditus, spretum decus, Illata damna, nate, me merito movent.	670
Dem.	Merito; sed ira vana vanusque est dolor, Si damna damnis vetera cumulamus novis.	680
Phil.	Provisa cuncta: pace simulata diu Bellum parabam; suppetunt arma et viri, Aurique vis immensa et annonae satis. Nunc, nate, quid mens agitet, attentus vide. Non ego Macedonum finibus clausus geram Tanto paratu bella: traiiciam fretum, In medium Italiam Martis effundam faces Romamque Romae vincere studebo impiger.	685
	Id Pyrrhus olim prospero exemplo docet, Magnusque nuper Annibal praeiit viam. Nec nos, ut Afrum, separat latum mare, Sed fert itinere perbrevi Ionium fretum. Non ut Sagunto mensibus quinque Annibal, Sed ab Corintho pervehar quinto die.	690
	Sunt foederati plurimi, plures erunt, Iunget Tarentum se mihi et Graecae plagae, Samnisque Lucanusque et audax Brutius Iuncta Quirites oppriment mecum manu. Consilia pridem capta stat tandem exequi.	695
Dem.	Ah, care genitor, pone consilia aspera. Quascunque vires inferas bello potens, Carthago terret, terret Antiochus nimis: Et illa et iste, viribus nobis pares Et superiores forsitan, victi tacent.	700
	Carthago fracta est, ipse se victim Annibal Confessus ultro; cecidit Antiochus potens Magnique nomen posuit et supplex iacet. Cecidimus ipsi, bellaque probantur tamen?	705
Phil.	Atqui Macedonum nomen, haud Roma minus, Efficere bellis inclytum hic animus flagrat.	710
Dem.	Vbi primum in Italos strinxerit ferrum pater, Quam Romae amicus hactenus pro te fui,	

	Tam pro parente sentient hostem gravem. Sed per salutem, patriae maneat quies, Pax alma maneat, bellaque facessant fera; Sanguine tuorum, forsitan probro tuo, Gerenda bella. da, pater, ...	715
Phil.	dictum est satis.	
	Bellare certum est: Roma me regem sciet, Non, quod putavit hactenus, servum suum.	720
	At tu, Quiritum tutor adversus patrem, Te prodidisti denuo, plusquam velim. Degener avorum, nihil Alexandri refers, Nisi quod Philippus est tibi invisus pater, Patremque mavis dicere externum Iovem.	725
	Vtinam satietas nulla te subeat mei, Vt simul honorem et spiritum invideas mihi.	
Dem.	Heu, sancte genitor, credere haec de me ...	
Phil.	tace.	
	Sique patris iram cernere supremam cupis, Arcana nostra pande Romanis tuis.	730

Scena tertia

Philippus, Perseus, Cotto

Cott.	Rex magne, capio Persei admonitu metum, Errore ne fors lapsus, ignarus licet, Aut te sorori sentiam iratum aut mihi.	
Phil.	Quid est timoris?	
Cott.	annulum misit soror, Quem traderem Demetrio, officii notam Animique grati. quod ego cum munus dedi, Suspectum id esse Perseus clamat sibi Tibique; nunc sororis accusat fidem, Nunc me bilinguem dicit auctorem doli.	735
Pers.	Nonne tua, princeps, saepe testata est soror Clondica, sese nemini sponsam fore, Nisi qui Macedonum sceptrum libraret manu? Demetrio nunc annulum cumque annulo Dat coniugalem prompta victori fidem Dicitque regem filium iniussu patris,	740
	Et Cotto thalamum sociat invito patre.	745

- Cott. Evidem sororis vota sibi regem petunt;
 Et coniugalem sicui dabit annulum,
 Agnoscat ipso hoc munere haeredem throni.
 Sed coniugalnis iste nequaquam fuit,
 Quem gratus animus misit et simplex dedit. 750
- Pers. Atqui ille amoris indicem hunc esse annulum
 Interpretatur atque prae se fert palam.
 Non ergo iam Cottonis accuso fidem;
 Demetrium autem quo feram tacitus modo, 755
 Qui, dum sororis annulum praefert manu
 Et coniugalem credit et credi cupit,
 Quid nisi paterni iura sibi sceptri arrogat?
 Nempe ut rebellis publica voce omnium
 Regis Macedonum nomen admittit palam,
 Vivente patre; sic eum populi favor, 760
 Sic nimia bonitas patris et Roma extulit.
 Vbiique plausus turbidae plebis volant,
 Quem Roma dederit, hunc sibi regem fore.
- Cott. Mirabar ipsus, fateor, audaces sonos,
 Ipsa in Philippi regia regem novum
 Cum nuncuparet insolens miles tuus. 765
- Phil. Iterumne fratrum iugia?
- Pers. ut video, pater,
 Tecum perire oportet et tacitos mori.
 Taceamus igitur. hoc precor solum deos, 770
 A fratre coeptum crimen in fratrem cadat,
 Patrem benignus servet incolumem polus,
 Qui forte dudum per meum petitur latus.
- Cott. Plebs tota certe pacis auctori favet,
 Quod saepe rumor attulit nobis quoque,
 Certusque fertur ille successor tibi. 775
- Pers. Expectet utinam! Roma iam non fert moras.
- Phil. Superstite patre, regia est poena altera;
 Tot asseclas Demetrii numerat domus.
 Odere nempe, odere me pridem mei! 780
- Pers. Demetrius eis unus est nempe omnia:
 Is arma Romae prohibet, is patrem tegit,
 Servator unus omnium et solum bonum.
 Ille tibi pater est, illius vivis cliens;
 At ille patrem Quintum Romae colit 785
 Teque abdicato filium se eius putat,
 Illum magistrum sequitur et vitae ducem.
 Et nunc Apelles noster ab Italia redux
 A Flaminino literas illi tulit.
- Phil. A Flaminino rursus? o improvidum,
 Qui Romam adire filium iussi meum! 790

Me puer amabat, timuit adolescens patrem;
 Nunc iuvenis odit, spernit et forte ...
 Pers. en, adest.
 Ego cariori filio cedo locum.

Scena quarta

Philippus, Demetrius

Dem.	A Flaminino literas ad te fero, Mihi quas Apelles reddidit, iunctas meis; Vnaque pro me, si sinis, pauca eloquar.	795
Phil.	An Marcius consilia suggestit nova? An Flamininus? audio, rex aut pater.	
Dem.	Regi facere patrique conabor satis. Gessisse me pro patre credebam miser, Laudem ac amorem quae mererentur mihi; Hodie redibam victor ac laetus domum, Cum nil timentis ingruit turbo in caput, Et, hoste victo, me genitor hostem vocat Ac proditoris impii dicit loco. Me fratris odia, plebis et Romae favor Fecere sensim, genitor, invisum tibi. Ego ipse, nam fatebor, hoc auxi malum, Dum nimius animi tempero verbis parum.	800
	Sed, quod odiorum fuit et invidiae caput, Sceptro imminere credor infelix tuo. Hoc ergo, pater, ut diluam crimen palam Meque innocentem et ambitus purum probem, Facturus adsum, quod neque expectat parens	805
	Nec Roma sperat nec petere frater potest. Diadema Macedum, quod mihi a patris manu Sperare poteram legitima proles tori, Volens et ultro eiuro totamque abdico, Haereditatis siqua spes unquam fuit.	810
	Carere regno malo quam patri gravis, Suspectus atque exosus imperii decus Sperare patrii. non petam, testor deos Geniumque patris, non petam regni iubar. Ibo, ibo solus, spretus, infelix, egens,	815
	Aeternus exul, exteris ludibrium, Remeare nunquam certus ad patrios lares.	820

Phil.	Romamne perges exul, ut classem domum Tecum reducas vindicem?	
Dem.	et Romam et thronum	
	Eiuro pariter: barbaras oras petam.	830
	Ibi latebo inglorius, regni loco	
	Fruiturus una hac gloria in muto otio,	
	Pietatis esse victimam mihi quod licet.	
Phil.	Quas barbarorum sis petiturus plagas,	
	Ni fallor, isthoc annulo ostendit manus.	835
	Clondica te Bastarnia in tecta evocat.	
Dem.	Solamen unum hoc, fateor, in tantis malis	
	Amorque solus, genitor, et virgo haec erunt.	
Phil.	Clondica nulli porriget sponso manum -	
	Sic profitetur ipsa -, ni sceptrum ferat.	840
	Est exuendus pariter utriusque amor.	
Dem.	Heu, care genitor! virgo, mea virgo perit?	
	Clondicae amorem deseram, solum bonum?	
Phil.	Neutrum aut utrumque: deserere solium nequis,	
	Nisi linquis illam.	
Dem.	vincat et amorem pater.	845
	Etsi horret animus, tu quoque, o virgo, vale.	
	Mutabo rursum, genitor, exilii locum:	
	Adibo Romam et, nequa suspicio tibi	
	Haerere possit ambitus, Romae petam,	
	Vt civitatem dent mihi plebs et Patres.	850
	Sic tuta fratri regna: neque enim te fugit,	
	Quemquam Quiritum ferre diadema est nefas.	
Phil.	Haec si probarit Marcius, iuxta probo.	

Actus quartus

Scena prima

Philippus, Perseus

- Phil. Quam vera timui semper! infelix pater!
Pers. De fratre vix adducor, ut credam hoc nefas. 855
Phil. Nequeunt negari literae: certa est manus,
Certum sigillum Quintii. fili impie!
Tu, nate, solus qui in patrem superes pius,
Demetrium, fac, oculus observet vigil
Fidique comites, ne locus pateat fugae. 860

Scena secunda

Philippus, Demetrius

- Dem. Redeo locutus Marcio: audivit stupens
Suosque praesens proferet sensus tibi.
Phil. Dic, nate, quem tu Quintium censes virum?
Dem. Est imperator maximus, clarus toga
Sagoque maior, liberator Graeciae, 865
Cui Phthia, cui Corinthus, Euboea et Locri,
Perrhaebi, Achaei, Thessali, Magnesii
Debent salutem, ludicro Isthmiaco datam;
Quem sibi parentem Graeciae populi vocant
Mixtoque lacrymis gaudio et plausu colunt.
Phil. Cuius potenti dextera oppressi sumus,
Nostraque Grais clade libertas data.
Dem. Ignosce, genitor: hostis ille olim fuit,
Sed esse pridem desit; novi virum.
Phil. Testantur istae literae, queis se probat
Amiciorem, quam velit Demetrius. 875
Quid vero si mendacii et tetri doli
Structaeque fraudis Quintium quisquam arguat?
Si proditorem perfidum insimulans vocet?
Dem. Est nota virtus Quintii, nota est fides:
Non cadit in illum macula tam turpis virum. 880

- Phil. Has Flaminini literas ergo lege.
 Dem. 'T. Quintius Flamininus Philippo regi salutem.
 Me tibi, Philippe, et filium excuso tuum.
 Amat ille Romam et gloriam; et Romae putat
 Consulere sese et gloriae, si regnum ambiat.
 Sed scis, Philippe, freна plerumque excutit
 Iuvenum cupidio; quod volunt, rapide volunt.'
 An ista de me Quintius?
 Phil. totam lege.
 Dem. 'A te ergo veniam fervor aetatis ferat,
 Si, sceptri amore lapsus, haud aequo satis
 Respiciat oculo turbidus fratrem aut patrem.'
 O Flaminine! sicne de Demetrio?
 Phil. Mihi tabellas redde et ausculta tacens.
 Sic ille: 'veniam fervor aetatis ferat,
 Si, sceptri amore lapsus, haud aequo satis
 Respiciat oculo turbidus fratrem aut patrem.
 Modo nequid ille forsitan gravius paret.
 Certe parabat vixque suasorem audiit.
 Scribo ipse iuveni: diligat patrem, rogo,
 Pietate potius esse sibi ducat nihil.
 Sed indoles superbior et impos sui
 Nescio quod animo grande praesagit malum.
 De me quidem, Philippe, sic habeas, velim,
 Me nec fuisse nec dehinc unquam fore
 Nato facinoris impii auctorem tuo.
 Vale, rex, aquamque providus Stygiam cave.'
 En, magnus ille Quintius, fili pie,
 Quem fraudis aut mendacii nemo arguat!
 Est nota virtus Quintii, nota est fides,
 Et nota mihi sunt et tibi sigillum et manus.
 En, quae monebat Perseus pridem meus.
 Dem. Nunc fata me, nunc undique et totum opprimunt.
 Accusat olim Perseus, testis novus
 Accedit hodie Quintius, damnat pater:
 Me fraticidam parricidamque impium,
 Regi rebellem ...
 Phil. Quintius damnat reum.
 Dem. Patrios ego omnes, genitor, adiuro deos;
 Qui si perire me vel insontem volunt,
 Non addo verba. lacrymis tantum est locus.
 Phil. Qui fingere potest omnia, et lacrymas potest.
 Abi patremque libera aspectu gravi.
 Abi et venenum praepara Stygium mihi,
 Conside Romae, Perseo insidias strue,

Hostes patris tuere, sollicita meos,
Ambi coronam: consulam solus mihi. 925

Scena tertia

Demetrius, Didas, Antigonus

- Ant. Parata iam sunt cuncta lustrali sacro.
Rex solus et Demetrius pompa deest.
- Dem. Heu, fidi amici! funebris Demetrio
Pompa apparatur. iudicor mortis reus. 930
- Ant. Quae monstra narras?
- Dem. breviter, hostem me pater
Et perduellem censem.
- Ant. hac ipsa die,
Qua tu triumphas hoste superato patris?
- Dem. Dum Flaminini literae insontem premunt,
Nil audit aliud Perseo addictus pater. 935
- Ant. Quid ergo? tene Quintius dicit reum?
- Dem. Dicit, quis unquam crederet? sed non queror
Ab extero me proditum, prodor domi.
Neque iam querendi tempus est: irae patris
Ni protinus me subtraho, perii miser. 940
- Fuga sola superest.
- Did. quo tamen capies fugam?
- Dem. Quo me Philippus misit.
- Did. an Romam petes?
- Dem. Non est asylum tutius Roma mihi.
- Did. At nonne metuis Quintium?
- Dem. novi virum,
Nec credit animus Quintium infensum mihi;
Et, ut sit hostis ille, placari potest.
Si nequeat, est Senatus, est Populus super.
Romae movebit exul hic omnes bonos,
Meisque lacrymis illa miscebit suas;
Quaeque abdicare regna decrevi prius, 945
- Fortasse quondam me ...
- Ant. ista, Demetri, fuga
Non mihi probatur penitus: haerebit nota;
Timens tribunal, esse credetur nocens.
- Dem. Occasio favet: Marcus Romam redit,
Securus illi socius accedo viae. 955

- Ant. Sed et Philippus, vigil et intentus tibi,
Augebit odia, forsitan et retrahet pedem.
- Did. Tentare praestat omnia incertae aleae,
Quam se efferato iudici expositum dare,
Suspicio quem caecat ac ira impotens. 960
- Dem. Amice Dida, rebus afflictis opem
Tu ferre poteris facile: Paeoniae praes,
Per cuius oras tacita me rapiet fuga.
Te mihi deorum cura submittit favens.
- Did. Hinc Heracleae a moenibus fines meos
Tenere celeri pauculis horis licet.
Paeonia tum te fida fugientem teget,
Ego viarum gnarus ad littus maris
Per avia comes duxque te sistam viae;
Ibi te amicae Marcii accipient rates 965
Tutoque Romam perferent cursu brevi.
- Dem. Properemus ergo: Marcio extemplo loquar;
Tu fac, parata cuncta sint celeri viae.
- Ant. Suspicor ego aliquid. tento. properate interim,
Fortasse mea dum consilia Xychus iuvat. 970
975

Scena quarta

Demetrius, Didas, Antigonus, Xychus, Milites trophyea ferentes

- Xych. Lustrale, princeps, genitor est orsus sacrum:
Regum trophyea vetera et exuvias ducum
Inferre miles more maiorum parat.
- Dem. Accedo.
- Ant. adesto, Xyche: te paucis volo.

Chorus II.

Darius, Ariobarzanes, Armiger, Chorus Persarum

Dar. Securim parate 980
 Nec me irritis porro precibus fatigate.

I.

Moriatur!
 Crimen tetur puniatur!
 Sentio et doleo!
 Effundetur sanguis meus,
 Morietur natus reus. 985
 Sed scelestum abdico,
 Crimen tetur puniatur,
 Moriatur!

II.

Occidatur!
 Ducibus obediatur,
 Etsi horret animus!
 Velim innocentem natum,
 Velim esse indemnatum.
 Sed parendum ducibus,
 Ducibus obediatur,
 Occidatur! 995

III.

Trucidetur!
 Ferat poenam, quam meretur!
 Ah, cessate, gemitus! 1000
 Quid me dolor ...
 Quid paternum cor ...
 Trucidetur filius!
 Ferat poenam, quam meretur:
 Trucidetur! 1005

Quid moras nectitis? ducite.

Armig. Rex magne ...
 Dar. Moras abiicite.
 Ariob. Vale saltem dicere patri liceat,
 Dum nulla salutis spes superat. 1010

I.

Aeternum vale, rex!
Nam patrem votor dicere,
Dum patre pector iudice.

Me dira tollat nex,
Sed tu beatus impera,
Tu hostes vitor supera.
Aeternum vale, rex!

1015

II.

Haec me manebat sors!
In purpura sum genitus
Eramque regis filius;
Nunc talis rapit mors.
Sed annos dii auferant,
Dum tuos illis ageant,
Nec displicet haec sors.

1020

III.

Aeternum vale, rex!
Dum te dolentem video,
Iam minus ipse doleo,
Nec terret mortis lex.
En, prompta neci victima
Exuit chlamydem, torqueum etc.
Amplexor sacra genua.
Aeternum vale, rex!

1025

1030

- | | | |
|--------|--|------|
| Dar. | Ariobarzanes, non odi te;
Iudices cogunt me. | |
| Ariob. | Licetne patrem dicere?
Licetne osculum ferre dexteræ? | 1035 |
| Dar. | Licet semel, non iterum. | |
| Ariob. | Per dextram hanc, peccatum ignosce unicum;
Post mortem ne oderis. | |
| Dar. | Ignosco, si moreris. | |
| Ariob. | Pater, ah pater ... vale ... vale ... | 1040 |
| Dar. | Vale, infelix fili ... vale et morere.
Ducite. | |
| | <i>Abit.</i> | |
| Armig. | Stupete, attoniti Persidis incolae,
Et lessum morienti concinete. | |

I.

- Cho. *praeeunte Armigero*
 Heu, vices miserae!
 In tristi pegmate,
 Infami dextera,
 Spes regni maxima
 Extinguitur.

1045

II.

- Armig. *solus*
 Infausta cidaris,
Praefert manibus cedarim Ariobarzanis.
 Tu omnes erudis;
 Incautum vitium
 Fert in exitium
 Et plectitur.

1050

III.

- Cho. *cum Armigero*
 O sortem flebilem!
 Sic mori principem?
 Mors haec vel exteris
 Serisque posteris
 Plorabitur.

1055

Actus quintus

Scena prima

Philippus, Didas

- Phil. At nostra satis hanc cura praevertit fugam,
Rideoque tacitus iuvenis imbelles minas;
Et tu fidelis praemium indicii feres.
Nunc Perseo eadem nuncia et serva fidem.

Scena secunda

Philippus, Marcius

- Marc. Consilia, rex, Demetrius aperuit mihi,
Quae nec probavi cuncta nec damno omnia.
Quod civitatem petere Romanam parat,
Laudabit omnis Populus et plausum dabit.
Placeret et Senatui votum hoc novum
Honorque tantus, quo iuvenis urbem colit,
Nullis coactus ista si peteret minis.
- Phil. Ego num coegi? sponte non voluit sua?
- Marc. Rex, si minatur, cogit, etsi nil iubet;
Et vel tacendo cogit iratus pater.
Vultu iubemus multa et incusso metu.
- Phil. Nec abire iussi filium, et id ultro volens;
Quod petiit a me, fateor, ingratum fuit.
Et quando te nunc vota damnare ac iter
Sentireque eadem video, pergratum id mihi est.
Tua ergo pariter ac mea ex sententia
Romam hinc abire filium prorsus veto.
- Marc. Vt video, nondum perspicis, rex, quid velim.
Eat mihi comes filius, Romam petat
Et civitatem sibi dari nostram roget.
Sed cur abierit, providus tecum premat
Et, seu id odium seu simultatem vocas,
Prudentiamve dicis aut iustum metum,
Id omne Romae celet et prae se fidem

- Solumque nostri nominis amorem ferat.
 Sic plaudet illi Populus, et Macedum genus
 Laudibus ad astra tollet; et Patres tamen,
 Vt satius esse duxerint, sive annuent
 Seu fors negabunt. fama constabit tibi,
 Nec modo patebit nullus invidiae locus,
 Sed laus amorque filii accedet patri.
- Phil. Dicuntur ista splendide, et fateor libens, 1095
 Non id negarem filio ac monitis tuis,
 Si more amantis filii id peteret patrem.
 Nunc fraude aguntur omnia, et caecis dolis
 Adornat abitum et tacitus illudit mihi.
 Fortasse nescis, Quinte, quid fallax paret;
 Parata iam sunt omnia arcanae fugae.
 Scio latebras, itineris seriem scio:
 Quos destinavit petere Paeoniae locos,
 Quem fraudulentae legerit socium fugae,
 Quod littus, unde solvat et quasnam rates,
 Quem denique viae terminum, teneo omnia. 1105
- Marc. Ego, Philippe, non quidem teneo omnia
 Nec id cupivi; non tamen teneo nihil.
 Quoniamque aperte tempus hoc cogit loqui,
 Quae pressa mihi sunt hactenus, facio palam. 1110
 Tu perduellem filium credis tibi
 Et Flaminini literas nostri obiicis.
 Negat ille crimen, crimen alienum indolis
 Morumque virtutisque famaeque inclytiae.
 Suae ergo Romam iudicem causae petit,
 Audire praesens Quintum testem cupid,
 Vbi integer Senatus aut rostra et forum
 Incertam ad aequum calculum causam exigant. 1115
- Phil. Suspectus igitur, Quinte, sum iudex tibi?
 Marc. Rogo et vicissim, Roma suspecta est tibi? 1120
 Philippe rex, mittamus ambages procul:
 Ducente me Demetrius Romanum petet;
 Ego Senatus nomine et Populi mei
 Eius Quiritum subdo tutelae caput
 Vrbisque Romae sub patrocinium potens
 Tuum recipio filium. dabitur dies,
 Dabitur Senatus, audient Patres reum,
 Et rite agentur more Romano omnia. 1125
- Phil. Ego Senatum veneror et Populum colo,
 Amicum amicus. Marcio non pareo.
 Non haec Quiritum dixit Orator mihi,
 Sed sponte dixit Marcius. privatus es,
 Dum loqueris ista; non enim hos iussus tibi 1130

	Ad me ferendos curia aut civis dedit. Quod arena peperit celere consilium tibi, Reiicere fas est, Roma dum nondum iubet. Damnare natum, Quinte, si iuste queam Velimque, id ipsum more Romano egero: Strinxit securim in liberos Brutus suos, Et Manliana imperia sunt Romae decus.	1135
	Morum magistra Roma dat cuivis patri Commune ius in filios vitae et necis. Seu imperator seu pater damno reum, More id Quiritum facio et exemplum sequor.	1140
Marc.	Amant Macedones principem et nunquam sinent Impune laedi, quem sibi regem augurant.	1145
Phil.	Ignavus est, qui vulgus ignavum timet.	
Marc.	Ignavus haud est, qui meam Romam timet. Quod impedire haud potuit, ulcisci potest.	
Phil.	Satis hoc acerbe; sed mementote, o boni, Nondum diebus omnibus sol occidit.	1150
Marc.	Philippe rex, maiora, quae dicam, excipe Nec ista rursus crede privatum loqui; Legatus ista dicit et iussu Patrum, Quae differenda visa sunt nobis adhuc.	1155
	Person Senatus dicere haeredem vetat Eumque Macedum patrio excludit throno; Demetrio corona servanda est tua, Quem constat unicum esse legitimum tibi.	
	Haec tibi Senatus. literas testes habe, Quibus sibi petit Perseum fidei obsidem, Diadema tradi praecipit Demetrio.	1160
	Delibera hodie, cras ego Romam migro.	

Scena tertia

Philippus, Perseus, Cotto

Lectis literis.

Phil.	Obediatur. Perseus quid fert novi?	
Pers.	Periclitari milites fratris caput Civesque credunt; me quia auctorem mali Exulceratus populus atque ira flagrans Demetrioque iniuria infensum putat, Insana ubique voce sibi dedi iubet.	1165

Cott.	Etiam in Philippum perdit iactant minas, Demetrii si laedere attentet caput. Illi coronam destinant, regem vocant.	1170
Phil.	Haec mihi Senatus? haec mihi Demetrius?	
Pers.	A te periculum, genitor, avertant dii, Totaque procella Perseum solum obruat. Me dede populo: vita mihi vilis mea est, Tantilla si iactura pretiosam potest Servare vitam, et patris et regis mei. Quanquam quid ego te vendico patrem mihi? Vox publica mihi detrahit tantum decus,	1175
	Et concitatum vulgus insultat palam, Vnum esse regi filium, Demetrium; Me subditum et Gnathaeniae infelix genus. Pro rege moriar, pro patre id si non licet;	
	Et si mihi pater non es, es patriae pater, Tamenque cado pro patre, dum pro te cado.	1180
Phil.	Ah, nate, cessa. stupeo tot pressus malis. Quid destinarim, nate, tibi, non te latet.	
	Sed Roma quid me cogit et populi furor?	
Pers.	Vtrique fiet Persei exitio satis.	1190
	Hic pereat unus, sicque communis quies Romae redibit, et tuo populo et tibi.	
Phil.	Heu, care fili, vulneras pectus patris.	
Pers.	Rex magne, semper Perseum carum tibi, Loco fuisse filii semper scio.	1195
	Odisse sed nunc Persea Quirites iubent, Amandus est Demetrius solus tibi, Illi corona danda; Romani iubent.	
	Obstare iussis Persei aetatem vident, Obstare iura gentium et morem sacrum	
	Legesque Macedum, obstare iudicium patris Omniaque vendicare maiori thronum.	1200
	Per me ergo stratum sanguinemque Persei Sese ad supremum frater attollat gradum.	
	Solamen unum est mortis, occumbo innocens:	
	Colui deorum numen et colui patrem, Et praeter illos neminem. nulla est mihi Ausonia, non Senatus aut Populus ferox Regumque dominus, qui patrocinio iuvet.	1205
Phil.	Quousque perges, nate? te fidum mihi Solumque fidum, gratus agnosco et memor.	
	Tibi sors paterna, fastus Italiae impotens, Tibi tot acerbae iniuriae, Romae dolo Raptae tot urbes, quin tot et gentes mihi	
	Superque cetera impius Demetrius,	1210
		1215

- Tibi nostra semper damna doluere omnia:
Hinc te perire atque opprimi Roma expetit.
- Pers. Pereamus ergo. gaudeat saltem semel
Roma atque frater, quando me incolumi nequit
Gaudere uterque; forte ne te, rex, quidem:
Nam servituti patriae obstamus nimis.
Odisse fratrem crimen est, quia frater est;
Odisse nolle crimen est, hostis tibi est.
Tu libera me crimine et vita simul.
Quid ingemiscis, genitor? invidiam fugis. 1220
Medebo ergo, liber a populo licet:
Hic annulus, rex, faciet ad letum viam,
Stygiumque virus, quod sub hoc cornu latet,
Quod destinabat frater et patri et mihi,
Me liberabit teque fratremque et Tibrim. 1225
- Phil. Fili, nefastis abstine! cornu hoc mihi!
Demetrio ista, tu mihi superstes diu ... 1230

Scena quarta

Philippus, Perseus, Cotto, Demetrius

- Phil. Diadema, fili, Roma tibi tradi iubet.
Obediatur illico. ecce, illud tibi
Vnaque munus alterum, isthunc annulum. 1235

Scena quinta

Demetrius

- Dem. Sicne diadema dat mihi patris manus?
Hunc annulum sum meritus, et laticem Stygis
Pro praemio Demetrii pietas refert?
Ego liberavi patriam ac ipsum patrem:
Cum tota premeret Graecia et faceret reum,
Ego bella solus, solus averti faces;
Nunc haec refertur gratia ... et credor reus,
Nec mihi perire nisi nece infami licet. 1240

Peri, peri ergo; morere, Demetri miser,
 Et Romae amorem praecoci exitio lue. 1245
 Excelse frustra spiritus, migra, heu, migra
 Et in iuventae flore sub manes abi,
 Damnatus insonis, gravis et invisus tuis.
 Age, quid moraris? morere, Demetri miser,
 Hauri venenum, quod tibi solum pater 1250
 Haereditatis regiae praebet loco.
 Nunc, nunc peractum est: nunc mihi fratrem et patrem,
 Romam ac amicos, regna, Clondicam abstuli.

Scena sexta

Perseus, Didas

Pers. Demetrius abit intro; properandum est, Dida,
 Ne rursus ausi forte poeniteat patrem. 1255
 Celeres sequamur.

Scena septima

Philippus, Marcius, Antigonus, Cotto, Xychus

Ant. sistite, scelesti; patent
 Omnia.
 Marc. videsne perfidi Persis scelus?
 Phil. Heu, video nimium. falsa, conficta omnia.
 Ant. Confessus ultro est criminis seriem Xychus.
 Xych. Ignosce, rex, a Perseo iussa omnia. 1260
 Non literae, non annulus sunt Quintii.
 Demetrii innocentis in sanctum caput
 Procura fraus est impia. heu, propere iuva!
 Phil. Modo ne venenum filius iamiam hauserit,
 Auxilia nulla dirus admittit latex. 1265

Scena octava

Omnes

Ant.	Vah, Persee, latro! iungit, en, sceleri scelus!	
Phil.	Et spiritum intercludere parabat furens.	
	Heu, nate, care nate, Demetri meus!	
	Ah, video: moreris!	
Dem.	morior, ut voluit pater.	
Phil.	O impie, o iniuste, crudelis pater!	1270
	Ignosce fili, sero deprendi scelus,	
	Scio innocentem, te mihi fidum scio,	
	Scio execrandi Perseum auctorem doli,	
	Ah, vive, fili!	
Dem.	grande solamen necis,	
	Quod innocentem me pater credit mori.	1275
	Veneror supremo dexteram sacram osculo,	
	Et te valere ...	
Phil.	o nate, mihi summus dolor.	
	Cape, heu, parentis impii extremum osculum	
	Istisque lacrymis crede, quam doleat scelus.	
Marc.	O care princeps, Roma te perdit mea;	1280
	Sed vindicabit.	
Dem.	gratias urbi refer;	
	Sed patriae, oro, parcat ...	
Phil.	o fili innocens,	
	Diadema saltem nunc tibi impono tuum	
	Et, ut scelesti Persei plectam nefas,	
	Haereditate privo pestiferum caput	1285
	Regnumque Macedum destino Antigono tuo.	
	Miserum parentem! perfidum servo mihi;	
	Pium, innocentem carnifex perdo pater.	
	Sed vindicabo: Persei plectam scelus	
	Plectamque me ipsum; plectet immensus dolor	1290
	Iugesque gemitus, barbari et facti pudor.	
	Brevique, dulcis nate, te moriens sequar.	
Dem.	Pater ... vale ...	
Phil.	eheu!	
Cott.	spiritus in auras iit.	
Marc.	Princeps amatus exteris, carus domi,	
	Favore nimio elatus, heu, cadit a suis.	1295

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1758 mit dem Titel „DEMETRIVS PHILIPPI“ (vor dem Darstellerverzeichnis nur „Demetrius“); deren zahlreiche Anmerkungen mit Hinweisen auf antike Quellen sind im Folgenden gesammelt abgedruckt. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/weit1/te05.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht; hier dokumentiert nur für den Tragödientext, nicht auch für das Prosa-Argumentum und die Anmerkungen. Stets gedruckt wurde *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* und *causa* für *caussa*.

Groß geschrieben wurde: *Sty-* (907, 923, 1237) sowie A V. *Tragoedia*, A VI. *Gallico*, 850 *Pa-tres*, 1067 *Populus*, 1154 *Patrum* und im Darstellerverzeichnis *Comites*; klein dagegen: A IV. *catastrophes*, 257 *deum*, v371 *rex*, v976 *trophea* sowie trotz Anrede 377 *numen*, 1277 *nate*.

Im Darstellerverzeichnis wurden die des Prologs und der beiden Chöre sowie im Prolog *Nuncius* ergänzt. Die Nennung der Darsteller vor den Szenen wurde geordnet, so 1,2 statt *PDX*, 1,3 *DeCPDiX*, 1,9 *DM*, 2,3 *DPM*, 2,4 *DM*, 4,4 *DeADiXM*, 5,4 *PhDPC*.

A III.	<i>Actu V.</i> statt <i>Actus V.</i>
A V.	<i>postquam</i> statt <i>post quam</i>
108	<i>infausto</i> statt <i>instausto</i>
262	<i>sunt</i> statt <i>sunt a</i> CAMENA
465	<i>Perseus</i> statt <i>Perses</i>
597	<i>fraterna</i> statt <i>faterna</i>
654	<i>non et</i> statt <i>non</i>
702	<i>quascunque</i> statt <i>quascuuque</i>
753	<i>prae se fert</i> statt <i>praesefert</i>
832	<i>muto</i> statt <i>mutuo</i>
v854	<i>Philippus</i> statt <i>PHIPIPPUS</i>
877	<i>et</i> statt <i>si</i>
1222	<i>frater</i> statt <i>fater</i>
1256	<i>patent</i> statt <i>patent omnia</i>
1257	<i>omnia. videsne</i> statt <i>videsne</i>

‘Komma’ gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 11, 12, 22, 57, 63, 77, 81, 97, 101, 115, 119, 121, 127, 130, 131, 151, 152, 155, 161, 162, 164, 177, 183, 186, 193, 197, 199, 204, 208, 208, 214, 215, 219, 221, 230, 234, 253, 254, 257, 258, 260, 261, 268, 282, 292, 293, 303, 310, 311, 312, 312, 322, 324, 327, 327, 331, 332, 335, 336, 354, 354, 356, 359, 362, 379, 381, 441, 458, 464, 465, 473, 478, 479, 479, 485, 488, 490, 493, 500, 504, 508, 510, 514, 522, 523, 524, 525, 526, 527, 527, 528, 529, 535, 537, 543, 558, 563, 566, 572, 587, 599, 599, 613, 614, 617, 618, 620, 622, 638, 645, 657, 666, 668, 670, 674, 680, 683, 684, 688, 697, 698, 704, 704, 707, 708, 733, 735, 737, 743, 744, 751, 753, 756, 757, 762, 769, 783, 785, 787, 793, 799, 805, 813, 815, 816, 819, 821, 822, 829, 844, 848, 859, 861, 864, 866, 869, 877, 885, 894, 902, 905, 916, 922, 923, 928, 960, 970, 980, 984, 1019, v1030, 1041, 1053, 1063, 1065, 1067, 1068, 1074, 1077, 1079, 1082, 1084, 1085, 1086, 1087, 1091, 1096, 1099, 1105, 1107, 1111, 1113, 1114, 1114, 1124, 1129, 1137, 1143, 1144, 1145, 1152, 1154, 1156, 1167, 1178, 1183, 1189, 1192, 1200, 1201, 1206, 1210, 1214, 1229, 1230, 1230, 1230, 1234, 1239, 1240, 1246, 1253, 1278, 1283, 1285, 1289, 1290

‘Komma’ gestrichen nach: 341 *verbo*, 430 *dolore*, 532 *arrogans*, 698 *Brutius*, 775 *rumor*, 807 *favor*, 822 *exosus*, 838 *haec*, 839 *manum*, 867 *Magnesii*, 902 *sui*, 917 *rebelle*, 1029 *victima*, 1079 *sententia*, 1117 *forum*, 1243 *perire*, 1288 *innocentem*

‘Komma’ ergänzt: 36 *dii*, 40 *io*, 44 *dii*, 45 *heu*, 48, 50, 51 *heu*, 69 *heu*, 75, 95, 112 *tandemque*, 113, 119, 119, 119, 138 *heu*, 139 *salveto*, 161 *rex*, 164 *rex*, 176, 176, 184, 184, 184, 184, 390, 391 *heu*, 411 *heu*, 413 *ah*, 429 *Persarum*, 429 *heu*, 436 *pater*, 471 *quid*, 497 *Marci*, 498, 527, 527, 529, 597 *heu*, 675 *mea*, 701 *ah*, 718, 718, 728, 756, 793 *en*, 805 *et*, 840, 842 *heu*, 848, 855, 859, 859, 891 *si*, 896 *si*, 900 *patrem*, 904 *quidem*, 904 *habeas*, 907 *vale*, 908 *en*, 912, 929, 946 *et*, 973, 979, 1000, 1000, 1011, 1017, 1025, 1029 *en*, 1031, 1043 *stupete*, 1045, 1085 *et*, 1100 *nescis*, 1187, 1187, 1193 *heu*, 1234, 1244 *morere*, 1246 *migra*, 1256, 1258 *heu*, 1263, 1266, 1266, 1266, 1268 *heu*, 1269 *ah*, 1274 *ah*, 1274 *vive*, 1278, 1278, 1282 *patriae*, 1282 *oro*, 1284 *et*, 1295 *heu*

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 6, 369, 449, 709, 944, 1086

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 348, 587, 673, 692 *mare*
 ‘Komma’ statt ‘Ausrufezeichen’: 991

‘Punkt’ ergänzt: 1144, 1257
 ‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 192, 677, 695, 1291
 ‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 33, 39, 76, 78, 80, 82, 86, 88, 90, 92, 132, 156, 216, 284, 304, 316,
 323, 325, 350, 491, 498, 512, 548 *olim*, 565 *ergo*, 572, 604, 615, 626, 669, 701, 705, 708,
 718 *bella*, 793, 808, 897, 927, 986, 994, 1013, 1028, 1083, 1092, 1126, 1130, 1140, 1148,
 1160, v1164, 1171, 1188, 1207, 1211, 1223

‘Punkt’ statt ‘Komma’: 127, 184, 390 *filii*, 410, 660, 1016, 1030, 1041, 1277

‘Strichpunkt’ gestrichen: 166 *licet*, 353 *coli*
 ‘Strichpunkt’ ergänzt: 1075
 ‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 109, 122, 157, 166, 169, 178, 179, 189, 191, 201, 210, 215,
 232, 238, 240, 269, 276, 294, 302, 313, 321, 324, 355, 358, 363, 367, 374, 400, 462, 492,
 494, 527, 545, 559, 574, 601, 611, 614, 619, 622, 628, 671, 680, 683, 707, 738, 747, 754,
 761, 784, 792, 796, 802, 868, 885, 888, 949, 969, 1020, 1032, 1037, 1051, 1061, 1072, 1090,
 1100, 1108, 1122, 1133, 1150, 1153, 1157, 1166, 1184, 1222, 1241, 1280, 1290
 ‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 126, 716, 778, 918, 1244, 1254, 1256, 1281
 ‘Strichpunkt’ statt ‘Fragezeichen’: 655

‘Doppelpunkt’ gestrichen: 837 *malis*, 899 *parabo*

‘Doppelpunkt’ ergänzt: 595

‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: 394, 545

‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 600

‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 75, 95, 178, 258, 440, 873, 979, 1269

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 44, 1031, 1274

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 909, 992

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Komma’: 36

‘Anführungszeichen’ statt Kursivdruck: 883ff., 890ff., 895ff.

‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 839f.

Akt 1

- 108 *Sollemne lustrale exercitus*, ritus Macedonum proprius. Liv. 1. 40 c. 10 (Editionis Bibliothecae Regiae Delphini, quam ubique sequor).
 109 De sacro illo funestato. Liv. 140, 6.
- 127 *Persea cura angebat, ne parum pro se una aetas valeret, cum omnibus aliis rebus frater superior esset*. Liv. 39. 53. Similia habent Polyb. in Legat. Excerpt. 442 et Plutarch. in Arato ac Aemil. Paulo.
- 152 Didas Paeoniae praetor, explorator Persei et consiliorum Demetrii proditor, teste Livio, 40, 21.
- 154 Philocles et Apelles Romam a Philippo missi, ut res Demetrii explorarent; iidem corrupti a Perseo. Liv. 40, 20.
- 161 Demetrius a Macedonibus iam rex appellari cooperat, blandientibus nimirum virtuti iuvenis. Liv. 40, 11.
- 180 Gnathaenium Persei mater, extra legitimum torum, infimae fortunae puella. Plutarch. in Arato iterumque in Aemil. Paulo et Livius, 39, 53: *illum pellice ortum esse*.
- 199 Bastarnae ad Istrum erant. Plutarch. in Aemil. Paul. Peuce urbs in insula erat, in medio Istro.
- 209 Expeditionem Demetrii fortissimam adversus Messeniam et Ithomen narrat Pausanias in Messen.
- 232 Romae ab Senatu ait Iustinus *non tam absolutum regem, quam donatum filio patrem. Quae res Demetrio non gratiam legationis, sed odium obtrectationis comparavit ... indignante Philippo, plus momenti apud Senatum personam filii quam auctoritatem patris ac dignitatem regiae maiestatis habuisse*. 1. 32 c. 2. Idem pluribus exequitur Livius, 39, 47, et de invidia, 39, 48. Idem et Plutarchus refert in Aemilio et Polybius Legat. Excerpt. 50. Addit Polybius, dissimulatum a rege dolorem, sed Perseum aperte indignatum esse.
- 233 Polybius, loco proxime nominato.
- 237 Sollicitatos a Philippo, quo tempore Demetrius Romae erat, *accolas Istri fluminis barbaros, ut in Italianam irrumperent*, testis est Livius, 39, 35.
- 242 Quidam Bastarnarum, regii generis, *sororem suam in matrimonium Philippi filio pollicebatur; erexeratque consociatio gentis eius animum regis*. Livius, 40, 5.
- 285 Cavisse Philippum, ne alienati animi indicium preeberet, dum bellum parasset, meminit Polybius de Legat. Excerpt. 48.
- 297 *Legatus in Macedoniam Q. Marcius est missus*. Livius, 39, 48, et, ut addit, in Peloponnesum quoque. Polybius etiam *Quintum Marcum* appellat, Leg. Excerpt. 46.
- 311 *Vulgatae opinioni crediderat* (Philippus) *Ponticum simul et Adriaticum mare et Istrum amnem et Alpes conspicere posse; subiecta oculis ea haud parvi sibi momenti futura ad cogitationem Romani belli*. Livius, 40, 21.
- 316 *Non fallebat Demetrium, ablegari se, ne adesset consilio, cum in conspectu locorum consultaret, quae proxime itinera ad mare Adriaticum atque Italianam ducerent*. Idem ibidem.
- 317 *Neque obscurum erat, rebellaturum omniaque, quae tunc ageret diceretque, eo spectare*. Liv. 40, 3.
- 322 Livius 1. 36 c. 13 et seqq.
- 323 Livius, 37, 7.
- 325 Livius, 36, 35. Erat *centum pondo*, ut ibi ait Livius. Vt adeo sola materia aequaret pretium librarium 56000, ut notat Ioannes Duiatius hic.
- 327 *Multa et dissimulare et oblivisci et pati praeterita Senatum posse*. Livius, 39, 47.
- 329 *Velle etiam (Senatum) sentire Philippum, integra omnia sibi cum Populo Rom. Demetrii filii beneficio esse*. Idem ibidem.
- 357 De utroque testatur Polybius Leg. Excerpt. 46 et de Philippo, Plutarchus in Arato.
- 363 *Et ipse iuvenis haud dubie inflatiior redierat, subinxus erga se iudiciis Senatus concessisque sibi, quae patri negata essent*. Liv. 39, 53. De fastu hoc et regni spe certa Polybius quoque Excerpt. 46.
- 368 *Ferociam insitam* in Philippo notavit Livius, 31, 14.
- 369 *Insueto* (Philippo) *vera audire*. Livius, 31, 18.

Chor 1

- 381 *Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,/ Ne detur celeri victima tarda deo*. Ovid. Fast. 1. 1.
- 392 Ariobarzanem principem accusatum esse apud patrem prodigionis, constat ex Areta de Cnidio, de Rebus Macedonicis 1. 3, et Plutarcho, Parall. Graec. et Roman., c. 11.

Akt 2

- 462 Liv. 36, 35.
 475 Romanorum odium in Persei velut effigie ponit Plutarchus, in Aemilio Paulo.
 521 Plut. in Flam.
 529 Fatetur de his omnibus distinete, etsi Graecus ipse, Plutarchus, in eodem Flaminio.
 534 Livius fuse a l. 24 ad 35, utriusque breviter Florus, 2, 7.
 542 De Sardinia, Hispania, Africa, per illud tempus victis, Florus, 2, 7. De Lusitanis, Celtiberis, Aetolis, Cephalenia, Gallis Asiae incolis, Liguribus, Livius sparsim l. 39. Maxime vero de Antiocho Magno, de quo tres triumphi acti, ut idem Livius l. 37 c. 46, c. 58 et c. 59.
 544 *Duobus regibus, Philippo et Antiocho, ... devictis, summa imperii ad Populum Romanum pervenit.* Vell. Patrcul. l. 1 c. 6.
 547 *Macedones, affectator quondam imperii populus.* Florus, 2, 7.
 558 *Quod muliebri cogitabat animo, tollere nimirum per fraudes Demetrium.* Liv. 40, 5.
 561 Pullatus apparuit Perseus, cum victus Paulum Aemilium alloqueretur; iterum, cum in triumpho duceretur ab eodem. De priore Liv. 45, 7, de altero Plutarchus in Paulo Aemilio.
 562 *Summittentemque se ad pedes* (Perseum Paulus) *sustulit nec attingere genua passus etc.* Liv. 45, 7.
 563 *Cum ... terram intuens, diu tacitus fleret.* Liv. 45, 8.
 564 *Paulus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit.* Vell. Patrc. 1, 9. *Quadriennio post in libera custodia Albae decessit.* Idem, 1, 11; narrat de Alba et Val. Max. 5, 1.
 576 Perseum et Demetrium agebant duo fratres germani.
 581 Perseum fuisse natu maiorem Demetrio, habetur ex Polybio, de Legation. Excerpt. 44 et 50. Livius id saepe repetit, l. 39 c. 53, semel, iterum, tertio; l. 40 c. 9, c. 10, c. 11 saepius, c. 12 et c. 15; itemque l. 39 c. 35. Denique l. 40 c. 10 distinete: *Demetrius quinquennio minor.* Vt mirum sit, quid spectarit Pausanias, cui (in Corinth.) Perseus est Demetrio minor.
 586 Plutarch. in Arato et in Paulo Aemil. Livius quoque, 39, 53: *illum pellice ortum esse.*
 615 *Scire (Senatum de Demetrio), quantum salva in patrem pietate possit, amicum eum Populo Romano esse.* Liv. 39, 47.

Akt 3

- 663 *Expertem eum* (Demetrium) *pater omnium de rebus Romanis consiliorum habebat, totus in Persea versus, cum eo cogitationes eius rei dies ac noctes agitabat.* Livius, 40, 5.
 666 Plutarchus in Aemilio.
 674 De Philippo ad Scotusam et Cynoscephalas victo Liv. 33, 10.
 675 Philippopolis, Tricca, Phaloria, Eurymene, Gonnocondylum, Mallaea, Ericinium aliaeque apud Livium, 39, 25. *Hae causae* (ereptae tot urbes) *maxime animum Philippi alienaverunt ab Romanis.* Liv. 39, 29.
 682 *Nunquam tamen remisit animum* (Philippus) *a colligendis in pace viribus, quibus, quancunque data fortuna esset, ad bellum uteretur.* Liv. 39, 24.
 683 Plutarchus in Paulo et Liv. 39, 24.
 684 Idem ibidem.
 684 Plutarchus in Paul. Aemil.
 689 Traiectum in Italiam cogitasse Philippum, narrat Liv. 31, 7.
 690 *Concussit* (Pyrrhus Italianum) *et victor prope ad ipsam urbem Romam venit.* Liv. 31, 7.
 693 *Mari tantum Ionio discretus erat.* Liv. 23, 33.
 695 *Non quinto inde mense, quemadmodum ab Sagunto Annibal, sed quinto inde die, quam ab Corintho solverit naves, in Italiam perveniet.* Ita de Philippo Sulpicius Cos. dicentem facit Liv. 31, 7.
 699 De Tarentinis, Graecia maiore, Lucanis, Samnitibus, Brutis Liv. 31, 7.
 700 Traiectus hic in Italiam decretus olim Philippo fuerat, primum secundo Punico, iterum priore Macedonico. Liv. ibidem.
 706 *Fassus in curia est, non praelio modo se, sed bello victimum, nec spem salutis alibi quam in pace impetranda esse.* De Annibale Liv. 30, 35.
 708 *Victo et supplici* (Antiocho) *pacem atque partem regni dari placuit.* Florus, 2, 8.
 709 *Crescente in dies Philippi odio in Romanos.* cui Perseus indulgeret, Demetrius summa ope adversaretur. Liv. 40, 5.
 711 *Mihi quoque* (verba Philippi ad M. Aemilium, Legatum Romanum) *in animo est facere, ut regnum Macedonum nomenque haud minus quam Romanum nobile bello sentiat.* Liv. 31, 18.
 714 *Quoad tecum* (ita Demetrius ad patrem de Romanis) *illis pax manebit, mecum quoque gratia erit; si bellum esse cooperit, qui obses, qui legatus pro patre non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero.* Livius, 40, 15.
 719 *Fecissetque Romanis grave bellum, nisi decessisset.* Iustinus, 32, 3. Idem habet Livius, 39, 23.

- 760 *Eum iam regem vivo patre appellant.* Liv. 40, 11.
 764 *Omnium pene Macedonum in eum ora conversa sunt, nec regem se alium rentur habitu-*
ros esse, quam quem Romani dedissent. Livius, 40, 5.
 773 Ita ad patrem Perseus: *itaque si mori tacitum oportet, taceamus, precati tantum deos, ut*
a me coeptum scelus in me finem habeat nec per meum latus tu petaris. Liv. 40, 9.
 776 *Demetrium ut pacis auctorem cum ingenti favore conspiciebant; simul et spe haud du-*
bia regnum ei post mortem patris destinabant. Liv. 39, 53.
 777 *Non desistebat Perseus apud patrem nunc amicitiam Romanorum, nunc proditionem ei*
patris obiectare. Iustinus, 32, 2.
 778 *Offendebatur interdum (Philippus) concursu Macedonum ad eum; et alteram iam se vi-*
vo regiam esse indignabatur. Livius, 39, 53.
 780 *Omnes homines, omnia loca temporaque suspecta habebat.* Liv. 40, 3.
 781 *Demetrius iis unus omnia est, ait Perseus ad Philippum, apud Livium, 40, 11.*
 782 *Iste enim est, cuius beneficio poenam tibi Senatus remisit, qui nunc te ab armis Romanis*
protectit. Liv. 40, 10.
 785 *T. Quintius nunc est auctor omnium rerum isti et magister. Eum sibi, te abdicato patre,*
in locum tuum substituit. Liv. 40, 11.

Akt 4

- 857 *Falsas etiam literas, signo adulterino T. Quintii signatas, allatas ab Apelle et Philocle,*
narrat Livius, 40, 23. Hae literae fidem Persei criminibus fecerunt. Idem ibidem. Maxi-
me falsae literae T. Quintii urgebant. Liv. 40, 24.
 859 *Demetrius dissimulanter asservari iussus, continuo ab acceptis fatalibus illis literis.* Liv.
 40, 23.
 868 Ex illo divino et immortalis memoriae decreto, quod exstat totum apud Livium, 33, 32,
 totidemque verbis Graece apud Plutarchum in Quint. Flam.
 869 *Auditae Quintii velut parentis voces.* Liv. 34, 50.
 870 *Manare omnibus gaudio lacrymae.* Idem ibidem.
 890 *Deprecatio erat in literis: siquid adolescens cupiditate regni prolapsus secum egisset,*
nihil eum adversus suorum quemquam facturum; neque eum sese esse, qui ullius impii
consilii auctor futurus videri possit. Liv. 40, 23.
 907 *Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum virus emanat.* Curtius 1. 10. Aliis iuxta No-
 nacrim Arcadiae Curtio in Macedonia dignitur. Ibidem.
 943 *Fugam ad Romanos Demetrius meditabatur.* Livius, 40, 23.
 963 *Cui consilio adiutor beneficio oblatus videbatur Paeoniae praetor, per cuius provinciam*
spem ceperat elabi tuto posse. Idem ibidem.
 965 Heracleae mortem oppetit Demetrius. Liv. 40, 24. Vrbs est Paeoniae proxima.
 978 In solemini lustrali *praeferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine*
Macedoniae regum. Livius, 1. 40. c. 6.

Chor 2

- 980 *Iratus pater cervicibus abscindi caput filii iussit.* Plutarch. in Parall. Graec. et Rom. c.
 11. Et Aretades 1. 3 Maced.

Akt 5

- 1062 Proditum esse illico a Dida Demetrium, cum fugae consilium cepisset, testatur Livius,
 40, 23.
 1106 *Fuga per Paeoniam praeparata arguebatur, et corrupti quidam, ut comites itineris es-*
sent. maxime falsae literae T. Quintii urgebant; nihil tamen palam gravius pronuncia-
tum de eo est, ut dolo potius interficeretur. Liv. 40, 24.
 1139 Non unus tantum fuit Bruti filius, ut Voltarius licentia poetica fingit (in Bruto Tragoe-
 dia); sed duos percussit Liberos suos ..., securi percussit, ut plane publicus parens in
 locum liberorum adoptasse sibi populum videretur. Florus, 1, 9. *Filios suos ... securi*
percuti iussit. Val. Max. 5, 8.
Consulis imperium hic primus saevasque secures
Accipiet; natosque pater, nova bella moventes,
Ad poenam pulcra pro libertate vocabit. Virg. Aen. 6.
 Livius etiam nomina prodidit: *adolescentes erant liberi, Titus Tiberiusque.* Liv. 2, 4.
 1140 *Imperia Manliana, Romanum proverbium, apud Livium, 4, 29.*
 1142 *Vt in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet, ut in filio.* Cic. pro Domo, n. 77.
 Ipsa Lex Adoptionis ita habebat: *Vtique ei vitae necisque in eum potestas siet, uti patri*
endo filio est.

- 1151 Vox Philippi acerba in conventu ad Tempe Thessalica in Graecos simul et Romanos,
nondum omnium dierum solem occidisse. Liv. 39, 26.
- 1183 *Non nequicquam isti unum Demetrium filium te habere, me subditum et pellice genitum*
appellant, Persei verba ad patrem, apud Livium, 40, 9.
- 1199 Ita ad Demetrium frater: *regnare utique vis; huic spei tuae obstat aetas mea, obstat gen-*
tium ius, obstat vetustus Macedoniae mos, obstat vero etiam patris iudicium. Huc tran-
scendere, nisi per meum sanguinem, non potes. Idem ibidem.
- 1209 *Nihil praeter deos, pater, et te colui: non Romanos habeo, ad quos confugiam.* Perseus
 apud Livium, 40, 10.
- 1214 Persei ad patrem verba: *perisse expetunt, quia tuis iniuriis doleo, quia tibi ademptas tot*
urbes, tot gentes, modo Thraciae maritimam oram indignor. Liv. 40, 10.
- 1219 *Nec me nec te incolumi, Macedoniam suam futuram sperant.* Ita idem (ibid.) de Roma-
 nis ad patrem.
- 1228 *Aqua Stygia ungulae iumenti duntaxat patiens.* Curtius I. 10.
- 1235 Veneno sublatum Demetrium, testis Livius, 40, 24, et Pausanias in Corinth.
- 1240 *Pro se quaeque civitates gentesque, singuli etiam privatum (gravis enim accola omnibus*
erat) Romam ... venerunt. Liv. 39, 46.
- 1259 Antigonum eliciisse e Xycho fictarum literarum fraudem fassumque Xychum omnia,
 narrat Livius, 40, 55.
- 1265 *Aqua Stygii fontis illico necat.* Plinius Hist. Natur. 2, 103. *Summa celeritate corrumpit,*
nec remedio locus est. Seneca, Quaest. Natural. 3, 25.
- 1267 *Iniectis tapetibus in caput faucesque, spiritum intercluserunt ... cum in eo ne simplici*
quidem genere mortis contenti fuissent. Liv. 40, 24.
- 1286 *Cognita fraude, non minus scelere Persei quam innoxia Demetrii morte cruciabatur;*
peregissetque ultionem, nisi morte praeventus fuisset. Iustinus, 32, 3. *Si vita longior*
suppetisset, haud dubium fuit, quin eum (Antigonum) in possessione regni relicturus fu-
erit. Livius, 40, 56, et ibidem praemiserat Philippi ad Antigonum verba haec: *Te unum*
habeo, quem dignum regno iudicem. Si neminem haberem, perire et extingui id mallem
quam Perseo scelestae fraudis praemium esse.
- 1292 *Brevi post tempore, morbo ex aegritudine animi contracto, decessit.* Iustinus, 32, 3.
Maerore consumptus, post mortem filii decessit. Liv. 40, 54. Narrat et Pausanias in Co-
 rinthiacis.